This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

878
M850
N83

B 878,805

Wissenschaftliche Beilage zum Vorlesungsverzeichniss
der Universität Greifswald

Norden — De Minucii Felicis aetate et genere dicendi

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM CIRCUMSPICE

THE GIFT OF
Univ. Greifswald

M
N

5 ·76 5

Wissenschaftliche Beilage

zum

Vorlesungsverzeichniss

der

Universität Greifswald

Ostern 1897.

De Minucii Felicis aetate et genere dicendi

scripsit

Eduard Norden.

Greifswald.
Druck von F. W. Kunike.
1897.

I.

Octavii dialogi felici quodam eventu ad nostra usque saecula propagati memoriam quotienscumque mecum recolo, mira animum perfundi sentio dulcedine: ea ille est et linguae nitidissimae elegantia et argumenti gravissimi auctoritate. quo magis omnibus, qui bonas litteras novi numinis adventu non exaruisse sciunt sed eo laetius effloruisse, dolendum est, cum de praestantissimi scriptoris aetate adeo non constare videant, ut tria fere abhinc saecula a viris doctissimis de Minucio et Tertulliano, uter alterum aetate superet, pari studio, eventu diverso disceptetur. neque hercule leve certamen exiguave demonstrandi gloria: gravissima enim res agitur, quis omnium primus Christianam religionem a superbis adversariorum calumniis malignisque suspicionibus latina lingua clare defensitarit ceterisque qui longo agmine sequuntur argumenta dispositionem ipsa verba suppeditarit. atque cum in immensum creverint quae huius quaestionis dissolvendae causa conscripta sunt volumina, si omnia vellem enumerare, neque ipse nunc multum inde perciperem fructum et si qui forte haec lecturi essent eis taedium afferrem: itaque cum noluissem omnes, summos nominare constitui, quorum labore studio iudicio quaestionem illam aliquo modo viderem esse promotam. atque Balduinus quidem, qui saeculo decimo sexto primus Minucium vitae ac lumini reddidit per medii aevi tempora turpi sodalicio cum Arnobio conexum, Hieronymi quodam confisus testimonio mox afferendo Tertullianum Minucio priorem esse existimavit, neque quisquam sententiae pervulgatae oblocutus est, donec C fere annis post Blondelius Dallaeusque Francogalli et Dodwellus Anglus contra niterentur, quorum argumenta a. 1766 paullo accuratius exsecutus est Danielus van Hoven Batavus[1]), cui praeter ceteros B. Georgius Niebuhr[2])

1) Campensia sive spicilegia critico-antiquaria, Campis 1766.
2) Kl. hist. u. philol. Schr., coll. alt. p. 52 sqq.

153940

assensus est. sed via ac ratione primus a. 1868 Adolphus Ebert horum sententiae patrocinium suscepit nobilissima atque amplissima de ratione qua Minucius cum Tertulliano coniunctus sit instituenda dissertatione[1]). hinc recens exortum eiusdem quaestionis studium, nam cum plerique Eberto assentirentur, inter quos unum nomine laudo Paulum Schwenkium qui allatis novis quibusdam argumentis Eberti rationem confirmavit[2]), pauci eique gravissimi viri aliter statuerunt Guilelmus Hartel[3]), Carolus Ioannes Neumann[4]), Adolphus Harnack[5]) praeditus ille non solum ingenti litterarum peritia sed etiam nativo quodam veri sensu rectique iudicio[6]). sed ecce nuperrime in arenam saeculorum pulvere obvolutam novus descendit luc-

1) Abh. d. phil.-hist. Cl. d. Kgl. Sächs. Ges. d. Wiss. vol. V p. 321 sqq.

2) Jahrb. f. prot. Theol. vol. IX (1883) p. 263 sqq.

3) Zeitschr. f. d. österr. Gymn. vol. XX (1869) p. 348 sqq.

4) D. röm. Staat u. d. allg. Kirche vol. I (1890) p. 241 adn. 6. aliter vir doctissimus iudicaverat in nunt. Gotting. a. 1884 p. 358.

5) In libro immensa doctrina insignito, quam saecula mirabuntur potius quam assequentur: Gesch. d. altchr. Litt. bis auf Eusebius vol. I (1893) p. 647.

6) Idem alibi (Theol. Litt.-Zeit. a. 1887 p. 422) Fridericum Wilhelmum refutavit, qui Hartelii sententiam de communi et Minucii et Tertulliani auctore caute ac docta cum dubitatione prolatam miro quodam fervore quasi certam ac confirmatam arripuit et pusilla singulorum castigatione non stabilivit sed pessum dedit (Vratisl. 1887); confer etiam quae contra eum dixit Schwenkius, Berl. phil. Wochenschr. 1888 p. 1022 sq. primarium illius argumentum quam sit imbecillum indicabo, quia multos in simili re eodem uti cognovi. sic enim ille statuit: Minucius et Tertullianus cum etiam eis locis, ubi in rebus gravissimis fere ad verbum consentiunt, in singulis quibusdam saepe ita inter se differant, ut alteruter plura habeat aut argumenta aut exempla, ex communi utrumque pendere auctore certum est. sane sic saepe et historici dum rerum gestarum auctores tractant, et qui infimae notae scriptores assutis pannis male ornatos ad vivum iure suo resecant. at neque Minucius et Tertullianus res gestas conscribunt sed fidei Christianae patrocinantur, neque illi sunt quilibet de multis sed doctissimi neque qui obscura opera alter alterum misere compilent. qua in re quam caute progrediendum sit, exemplo de proximo petito confirmabo. Cypriani libellum *de idolis* in Minucii Octavio recensendo fere codicis instar esse omnes consentiunt: adeo Cyprianus Minucii verba in usum suum convertit. Cyprianus igitur c. 2, ubi ad verbum exscribit Octavii dialogi capita 21—23, tamen p. 20,5 H., ubi de Saturno agit, haec de suo addit: *et rusticitatis hic cultor fuit, inde ferens falcem pingitur*, cum Minucius haec sola habeat (21,5): *rudes illos homines et agrestes docuit litteras imprimere, instrumenta conficere.* neque haec de Iano apud Minucium (l. c.), quae habet Cyprianus (l. c.): *de cuius nomine mensis Ianuarius institutus est. ipse bifrons exprimitur, quod in medio constitutus annum incipientem pariter et recedentem sectari videatur.* porro c. 4 i. f., ubi ipsa Minucii verba (c. 25,9) habet, addit quae apud Minucium desiderantur haec: *plane sunt apud Romanos et victi penates, quos Aeneas profugus advexit. est et Venus calva, multo hic turpius calva quam*

tator Martinus Schanz[1]) ceteros omnes καταβάλλειν certus sibique ipse frontem redimiens laurea. neque ego nunc luctatori isti contra ferre manum verebor: sic enim statuo, eum qui alios supplantare conatur quovis modo gradu esse demovendum. neque andabatarum more ventilabo sed aperte aggressus pugnabo. Caecilius enim postquam orationem qua grandi elatus impetu veteris religionis ferventem se praestabat sospitatorem ad finem perduxit, indignationis tumore relaxato per rixam ac cavillationem renidens haec addit c. 14 *ecquid ad haec audet Octavius, homo Plautinae prosapiae, ut pistorum praecipuus ita postremus philosophorum?* his in verbis et Plautinae prosapiae homo et pistores multos diu vexarunt, sed, ut fere fit, veteres dialogi interpretes de utrisque multo rectius statuerunt quam plerique recentium, qui fortiter emendabant, quod non intellegebant. de ultima enim faece collectam plebeculam Christianae fidei addictam esse, litteratos homines elegantesque longe ab ea abhorrere cum impugnatores iactarent, Christianos hac infamia aspersos ut contumeliam repellerent enixe operam dedisse, quicumque apologetas Christianos proprie dictos et Origenis libros contra Celsum editos bene norit ultro concedet neque multum in pistoribus illis haerebit, cum praesertim ipsum Caecilium iam antea de *rudibus illis studiorum, litterarum profanis, expertibus artium etiam sordidarum* magno cum dolore magnaque cum indignatione locutum esse (5,4) cognoverit. pistores autem maxime, non alios quoslibet operarios quod dixit, id propter Plautum pistrino si dis placet addictum a Minucio argute institutum esse quo iure contendant, ego vehementer dubito, cum pistorum opificium ne apud ceteros quidem auctores bonae famae fuisse videam: in Pisonum enim nomine, quod a pistoribus etymon traxisse vulgo statuebant (cf. auct. *paneg. in Pis.* 16 sq. Plin. *n. h.* XVIII 10), facete ludit orator quidam, cuius haec a Quintiliano (*inst. or.* IX 3, 72) afferuntur verba: *non Pisonum sed pistorum*, et de Favonio oratore Cicero Attico iocose scribit (II 1, 9) eum *Nasicam honeste accusasse ac moleste tamen dixisse, ita ut Rhodi videretur molis potius quam Moloni operam dedisse.* accedit etiam, quod pistorum vocabulum propter ipsam primam

apud Homerum vulnerata. atque ita saepius. sed Minucium et Cyprianum ex communi pendere auctore qui contenderit, adhuc inventus est nemo.

1) Mus. Rhen. vol. L (a. 1895) p. 114 sqq.

litteram Minucio gratum acceptumque erat, cum aliquem diceret esse Plautinae prosapiae, pistorum praecipuum, postremum philosophorum. sed homine Plautinae prosapiae quid fiet? propter hunc enim Schanzius ingentes, ut comico utar verbo, turbelas dedit. quid enim? ut paucis concludam quod multis ille exposuit: Octavio — haec enim fere ille — cum Plauto nec res nec ratio, misso igitur Octavio, quem insipiens nescio quis turpi interpolatione verbis inculcavit, pro hoc intellegamus Frontonem, hominem, ut pueri sciunt, plautinotatum, quem contra Christianos nobilem edidisse orationem ex Minucio ipso constat. iam vero debili hoc posito fundamento cetera ille superstruit munimenta. ergo — sic enim pergit — his verbis *ecquid ad haec audet* [Octavius] *homo Plautinae prosapiae* Frontonem in certamen vocat, ergo Fronto etiamtum inter vivos vivus ambulabat, ergo Octavius dialogus Frontone vivo scriptus est. haec illum omnia cave credas argumentis confirmasse, sed grandibus usum esse scito verbis velut hisce — neque in sermone latino barbara posuisse erubescam vocabula —: „*Auch nicht der Schatten eines Zweifels ist gegeben, es ist das Bild des M. Cornelius Fronto.*“ „*Alle Züge passen auf ihn und zwar nur auf ihn.*“ „*Sind diese Erwägungen richtig, und sie müssen richtig sein, so ergiebt sich mit Nothwendigkeit die Schlussfolgerung* e. q. s. „*Der Irrthum ist leicht erklärlich, weniger erklärlich ist es dagegen, wie ein solcher Irrthum sich durch Jahrhunderte forterben und wie derselbe sogar die scharfsinnigsten Gelehrten auf Abwege führen konnte.*“ horum similia ubique obvia sunt, sed in fine disputationis ἀντιθέσεων forma quasi alter quidam Marcion utitur, quibus in sententias virorum sanctissimorum et eruditissimorum auctoritate vulgo receptas graviter invehatur. at sunt illae, mihi crede, τῆς ψευδωνύμου γνώσεως ἀντιθέσεις. sed enim singula quae quasi tela mittit opprobria repellere taedet[1]): fundamentum ipsum quam sit putre cum evicero, tibicines ad sustentandum opus interpositi tectumque et ipsum male sartum sponte corruent. quid enim? hominem Plautinae prosapiae proverbio tritissimo intellegendum esse causidicum iam veteres

---

1) Cf. etiam quae contra Schanzium disseruit Carolus Weyman (Beil. z. Allgem. Zeit. 1895 n. 120), vir harum rerum peritissimus.

interpretes allatis Hieronymi quibusdam locis statuerunt idque inventum memoria oblitteratum Georgius Goetz in musei Rhenani tomo tricesimo quarto, qui editus est a. 1879, p. 496 denuo revocavit ac sagaci disputatione confirmavit, id quod Schanzius etiam ex Baehrensii praefatione discere debebat: nimirum propter plautos canes et propter Plauti poetae, ut est in Casinae prologo, latrans nomen causidicos quoque in foro latrantes Plautinae prosapiae homines per cavillationem vulgo appellabant; Minucius Afer causidicus fuit (2,3), Octavium, dulcissimum Minucii contubernalem, et ipsum reis fuisse praesidium illo de quo agitur loco docemur: en tibi causidicorum nutriculam Africam.

Atque haec quidem mihi ut in prooemio dicta sunto: iam ad rem ipsam accedo. sed totam quaestionem retractare nolo: omissis eis quae cum singula non sint certissima universa multum valent, quibus potissimum causis adductus eorum sententiam, qua Minucius Tertulliano prior fuisse statuitur, veram esse mihi persuaserim, argumentis quibusdam additis quae ad illorum rationes confirmandas apta esse censeo, quam potero brevissime exponam.

Lactantius *div. inst.* V 1 ubi eos enumerat qui Christianae fidei patrocinium susceperant, primum Minucium, secundum Tertullianum, tertium nominat Arnobium. 'at non temporis, inquit, rationes sequitur sed quo quisque ceteris praestitit argumentorum pondere, eo ille in enumerando utitur ordine'. immo Minucium hoc unum libro suo declarasse dicit, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset: inde eum non satis celebritatis invenisse. 'at, ut solent rhetorum filii, gradationis figura usus a pessimo ascendit ad optimum'. sed Arnobium ita non laudat, ut propter intempestivum defensionis genus vehementer increpet. restat igitur, ut temporis rationes Lactantium secutum esse statuamus. 'at obstat Hieronymi testimonium, qui inter viros illustres saepe Minucium post Tertullianum ponit'. sane hoc Hieronymi testimonio confisus primus Minucii editor et qui eum secuti sunt plurimi Minucium aetate posteriorem fuisse Tertulliano existimaverunt, sed hodie quidem de Hieronymo historiae litterarum cum sacrarum tum saecularium auctore multo aliter iudicare consuevimus: is enim, quamvis fuerit inter latinos ecclesiae scriptores ut inter graecos Ori-

genes eruditissimus, tamen his in rebus apertissimi erroris turpissimique totiens convictus est, ut prae Lactantii testimonio, praesertim qui saeculo fere ante Hieronymum vixerit, Hieronymus nihili sit aestimandus; accedit quod in argumento simillimo insignis nuper detectus est Hieronymi error, cum post Apollonium latine primum scripsisse pro Christianis contendat Tertullianum (*de vir. ill.* 53), quamquam Apollonii fidei Christianae defensionem graece conscriptam fuisse constat[1]). Lactantii igitur verba cum dubitationi exempta sint, Tertulliani apologeticum post Minucii Octavium editum esse necessario statuendum est.

'At ne Lactantius quidem errore liber', sic enim audio cum dicit quem mihi fingo ut in diatriba adversarium. sane potuisse illum errare ut hominem, ut qui saeculo uno fere et dimidio post Minucium vixerit, concedo, etsi cum cetera argumenta desint quam illud sit imbecillum ac ratione fere destitutum quivis opinor intellegit. proinde ipsorum quorum causa agitur auctorum scripta adeamus, ut citati respondeant cogamus, singula eorum verba auraria ut aiunt statera trutinemur, hoc est scrupuloso interpretandi examine castigemus. seligam autem argumenta quae certissima aut sunt aut mihi videantur esse. qua in re multos errare cognovi, qui dum argumenta certa aut probabilia cum incertis aut dubiis confundunt, suae ipsi causae nocuerunt, cum adversarii haec facile repellerent, illa aut silentio premerent aut horum mole obruerent. haec igitur suprema nobis lex sancitor: sicubi alterum recto talo procedere, alteri male calceum haerere viderimus, illum hoc priorem esse statuemus. sed ne in hac quidem re non vitio alicui praevertendum est, cui saepissime obnoxios esse video qui in eiusmodi quaestionibus expediendis versantur: namque dum alteri auctori nimis favent, alterum solent nimis increpare ut insipientem quendam ac malum alterius imitatorem, idque ut aliis persuadeant quasi ad vivum eum secant disiectaque eius esse membra contendunt quae in altero apte inter se nexa sint: quo studio abrepti atque obcaecati inania saepe produnt atque, quod aiunt, dum nimia demonstrare parant, nil demonstrasse convincuntur. quo vitio ne Ebertus quidem vacuus Hartelio facilem praebuit reprehensionis an-

1) Cf. Harnackius, Sitzungsber. d. Berl. Ak. 1893 p. 721 sqq.

sam: quo magis nos ne eodem errore impediamur cavebimus, quae sane exigua est laus prae primo inventore, qui ipso invento laetus in devia atque abrupta se ferri aliquotiens passus est. magnus enim mehercule scriptor est Tertullianus tantoque nova excogitandi ingenio praeditus, ut a misello compilandi negotio mirum quantum sit alienus. eiusmodi profecto scriptor, etsi quem habet auctorem cuius sequatur exemplum, tamen ne turpiter cadat ingenio ipso cogitandique acie cavebit. sed enim, ut est ardens vir, ingenti quodam animi fervore captus, quem peperit indignatio, singulis pusillisque neglectis dum vehementi fertur impetu torrentisque instar rapit secum legentes non ducit, aliquotiens si minus cecidit at labi se passus est: quod ne praepropere statuamus, quam diligentissime videndum erit.

Atque gravissimum quidem id est, quod Ebertus exposuit l. c. p. 369 sqq. Minucius enim c. 21,4, ut Saturnum hominem fuisse demonstret, auctores affert *Nepotem et Cassium in historia, Thallum et Diodorum:* Tertullianus *apologetici* c. 10 singulis fere verbis cum Minucio congruens eiusdem sententiae auctores affert, ut ipse ait, *commentatores antiquitatum* Diodorum et Thallum ex Graecis, ex Romanis *Cornelium Nepotem et Cassium Severum.* Minucius igitur, quamquam ne Cassius orator ille intellegeretur additis *in historia* verbis cavebat, Tertullianus, cum neglegenter legeret Minucii verba neque Heminam Cassium annalium scriptorem, cuius notitiam Minucius ex ipso Nepote petivit (conf. mus. Rhen. tom. XLVIII a. 1893 p. 351), intellegendum esse cogitaret, Severum Cassium auctorem attulit eumque antiquitatis commentatorem esse insigni errore sibi persuasit. 'at qua tandem causa permotus Tertullianus cognomen illi addidisse existimandus est?' in aperto, nisi fallor, causa posita est: Minucius enim, cum non bene Nepotis afferret cognomen, Cassii nomen, Tertullianus haec correcturus dum Nepoti addit nomen, Cassio cognomen errore implicitus in Severum Cassium incidit. quod ne statuere dubitemus in Tertulliano antiquitatis haud imperito, Ebertus simillimum eiusdem errorem bene animadvertit, quo Hippiam sophistam cum tyranno confudit (*apol.* c. 46). 'at Tertulliani errorem Minucius correxit'. non vides adversa fronte haec pugnare cum ipsa veritate? ecce enim Tertullianus Nepotis volumina adit, Cassium citatum videt, eum cum Augusteae aetatis oratore nobilissimo confundit, Severi

cognomen addit; deinde supervenit Minucius, errasse Tertullianum intellegit, errorem corrigit; corrigit autem? videlicet eum correxisse, qui cum Severum Cassium falso dici probe intellexisset, non Heminae cognomen addidit, sed solum posuit nomen. quin aut ratio ipsa tollenda et quae didicimus credidimus comprobavimus ea dediscenda infitianda improbanda, aut Minucium priorem esse, Tertullianum errasse statuendum.

Volo — haec Tertullianus c. 14 — *et ritus vestros recensere: non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta et tabidosa et scabiosa quaeque mactatis, cum de opimis et integris supervacua quaeque truncatis, capitula et ungulas, quae domi quoque pueris vel canibus destinassetis, cum de decima Herculis nec tertiam partem in aram eius imponitis: laudabo magis sapientiam quod de perdito aliquid eripitis. sed conversus ad litteras vestras, quibus informamini ad prudentiam et liberalia officia, quanta invenio ludibria.* ritus se recensiturum esse professus, postquam praeteritionis figura usus quae non dicturus esset enumeravit, quo promissa cadant securus ad litteras Romanas abrupte se convertit, ad ritus nusquam revertitur. non ita Minucius, sed post haec verba (c. 24,2) *quorum ritus si percenseas, ridenda quam multa, quam multa etiam miseranda sunt* via ac ratione quindecim multa cum inrisione gentilium ritus enumerat. qua in re cuius non plausum feret Ebertus (p. 378), qui Tertullianum, si ipse id argumentum invenisset, nullo modo tam inconsiderate suam partem derelicturum fuisse contendit? quid quod ne Hartelius quidem (p. 366) Eberti sententiae obnititur, sed ut Tertullianum neglegentiae crimine liberet Havercampi coniecturam amplexus in ipso enuntiati principio pro verbo quod est *volo* potius aliud hoc *nolo* substituendum esse censet. qua in re a viro gravissimo et doctissimo, cuius apud me auctoritas plurimum pollet, dissentire mihi liceat. neque enim neglegentiae Tertullianum insimulo neque hoc eum crimine speciosa ceteroquin atque eleganti coniectura liberandum existimo: sed quo erat, ut dixi, spiritu elato ac sublimi, ingenti indignationis fervore abreptus minoribus neglectis rapido cursu ad potiora fertur; quam tu sive levitatem dices et indiligentiam, sive, me si audies, quasi furentis animi, ut cum Petronio loquar, spiritum praecipitatum, qui religiosae orationis sub testibus fidem spernit: litteras traditas mutare supersedebis, ne non tam librarium quam scriptorem correxisse videaris.

Transeo ad aliud Eberti argumentum (p. 354 sqq.), de quo uberius video mihi disputandum esse ac fusius, quia Ebertus parte veri detecta, cum omitteret id quod summum et primarium esset, refutandi rationem Hartelio (p. 350 sqq.) invitus ipse monstravit. Minucius enim (c. 6) in persona Caecilii Romanorum potestatem et auctoritatem totum terrarum orbem occupasse enarrat, cum tanta eorum fuisset religio, ut non suos solum proprios deos sed universarum gentium numina colerent eorumque sacra susciperent; quam sententiam Octavius postea (c. 25) ita refutat, ut iniustitia scelere sanguine orbem terrarum in Romanorum dicionem redactum esse demonstret. idem argumentum Ebertus contendit legi in Tertulliani capite vicesimo quinto, sed quae apud Minucium recte procedant ea apud Tertullianum tam misere consuta esse, ut fere ne intellegere quidem possit nisi qui Minucii disputationem ante cognorit. quam argumentationem Hartelius Tertulliani verba rectius interpretatus refutavit. Eberti autem error inde ortus, quod falsam sibi ipse sumpsit propositionem: neque enim idem argumentum apud utrumque sed simile, diversa igitur utrumque uti consentaneum est via demonstrandi, ut qui alterum cum altero studeat exaequare in errorem necesse sit incidat. qua de re rectius iudicabimus, cum quid capite antecedente (24) Tertullianus exponat examinaverimus. irreligiositatis — novo enim, ut solet, in nova re utitur vocabulo — accusat Romanos, quod adimant religionis libertatem et interdicant optionem divinitatis, ut iam non liceat Christianis colere quem velint, sed cogantur colere quem nolint: quod ab illis eo iniustius praecipi, quia ceteris gentibus suos cuique deos colere permittant. *unicuique*, inquit, *etiam provinciae et civitati suus deus est, ut Syriae Astartes, ut Arabiae Dusares, ut Noricis Belenus, ut Africae Caelestis, ut Mauritaniae reguli sui. Romanas, ut opinor, provincias edidi nec tamen Romanos deos eorum, quia Romae non magis coluntur quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur. Casinensium Deluentinus, Narniensium Visidianus, Asculanorum Ancharia, Volsiniensium Nortia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Hostia, Faliscorum in honorem Patris Curis et accepit cognomen Iuno. sed nos soli arcemur a religionis proprietate. laedimus Romanos nec Romani habemur qui non Romanorum deum colimus* . . . (c. 25) *satis quidem mihi*

videor probasse de falsa et vera divinitate, cum demonstravi, quemadmodum probatio consistat, non modo disputationibus nec argumentationibus sed ipsorum etiam testimoniis quos deos creditis, ut nihil iam ad hanc causam sit retractandum. quoniam tamen Romani nominis proprie mentio occurrit, non omittam congressionem quam provocat praesumptio dicentium Romanos pro merito religiositatis diligentissimae in tantum sublimitatis elatos, ut orbem occuparint. in his quae sequuntur de orbe a Romanis occupato, eodem disserendi modo utitur, quo in refutatione Caecilii Octavius (c. 25), ut orbem terrarum in Romanorum dicionem redactum non pietatis et iustitiae, sed sceleris et sanguinis praemium fuisse evincat; qua in re demonstranda etiam verbis fere eisdem utitur quibus Minucius: hic enim sic concludit (25, 6): *totiens ergo Romanis inpiatum est quotiens triumphatum, tot de diis spolia quot de gentibus sunt tropaea*, sic Tertullianus (c. 25): *tot igitur sacrilegia Romanorum quot tropaea, tot de deis quot de gentibus triumphi.* his expositis ad Ebertum revertor. quem sane non fugit Tertullianum ad rem demonstrandam non satis concinne sibi transitum parare his verbis *quoniam tamen Romani nominis proprie mentio occurrit, non omittam congressionem*, nihil horum apud Minucium, immo omnia cum prioribus ita conexa esse, ut neque demi quicquam possit neque addi: quod argumentum ne Hartelius quidem refutare aggreditur. sed accedunt graviora. quaenam, obsecro, a Minucio credere iubemur? audi modo ipsum (c. 6, 1 sq.): *per universa imperia provincias oppida videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere et deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas matrem, Epidaurios Aesculapium, Chaldaeos Belum, Astarten Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, universa Romanos. sic eorum potestas et auctoritas totius orbis ambitus occupavit, sic imperium suum ultra solis vias et ipsius oceani limites propagavit, dum exercent in armis virtutem religiosam, dum urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus ac nominibus sacerdotum, . . . dum captis hostilibus moenibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur, dum undique deos quaerunt et suos faciunt, dum aras extruunt interdum etiam ignotis numinibus et manibus: sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt.* quid ais, Caecili? universarumne gentium sacra a Romanis suscepta esse?

sed, o bone, hoc tu, mihi crede, magis pie contendis quam vero, dum non armis sed religione totum orbem a Romanis subactum esse demonstras. 'at haec non auctoris sententia, sed Caecilii, cuius ille cum referat verba non inde suam aperit mentem'. quid vero? Octavius h. e. Minucius ipse, ubi Caecilii verba impugnat (c. 25), nihil quo pravam illam refutet sententiam profert, sed unum id negat omnibus illis deis recipiendis populum Romanum religiositatem suam ostendisse: immo *tot*, inquit, *de diis spolia quot de gentibus tropaea.* ergo haec ipsius auctoris est sententia. iamne sentis, quid Tertullianus? is cum animadverteret, quam esset imbecilla ac lubrica illa Minucii ratiocinatio et quae ab adversariis facillime impugnari evertique posset, illius sententiam, quam totam missam facere nolebat, quippe in qua inesset primarium quoddam argumentum, in singulis correxit peregrinos illos et provinciarum et municipiorum deos enumerando, quo facto ex Minucii errore elegantissime et sagacissime novum sibi ipse effinxit argumentum, cum indignabundus quaereret, cur gentibus licitum esset suum sibi colere deum, non item Christianis. quae cum hunc in modum instituisset, sane evitare non poterat paulo duriorem illam ad sequentia transitionem: *quoniam tamen Romani nominis proprie mentio occurrit, non omitto congressionem.* quamquam in eo malo prius illud prudenter animadversum et sollerter consilio aptatum laudare quam posterius haud ita recte institutum vituperare. iam vero contrarium ponamus: sit prior Minucio Tertullianus, quis Minucium, si legisset apud Tertullianum de singulis singularum gentium deis accurate exponi ipsaque nomina eorum Varroniana doctrina vidisset allata, quis, inquam, illum, id quod quivis paulo doctior statim refutaturus esset, de universis omnium gentium deis receptis expositurum fuisse serio sibi persuadebit?

Agmen claudat exemplum quo confirmari puto id quod demonstrare mihi erat propositum. apud Minucium (c. 9) Caecilius de Christianorum deo nefanda quaedam refert, quae vera esse ipse non confirmat, sed fama divolgari narrat: nimirum Christianos alii ferunt colere pro deo hominem, cui caput sit asininum, alii ipsius antistitis ac sacerdotis genitalia, alii hominem summo supplicio punitum et crucis lignis feralibus affixum. quae ab Octavio refutantur c. 28,7 sqq.: scilicet de asinino capite fabula ex ipsis gentilium

sacris orta, qui et totos asinos cum Epona dea colunt et deos habent ex hominum bestiarumque formis commixtos; item de genitalibus adoratis et de homine propter ingens facinus punito mendacia sunt, quae Octavius quemadmodum refutarit, non opus est enarrare longius; denique de cruce consecrata nec verus est rumor et, ut sit ille verus, signum crucis alio modo interpretandum est. iam conferamus Tertullianum, qui de iisdem similibusque rebus exponit *apologetici* c. 16. quattuor et ipse Christianorum dei cultusque formas enumerat hoc quidem ordine: caput asininum, crucem, solem, hominem qui est auribus asininis et altero pede ungulatus. omittit igitur quae Minucius habet de genitalibus et de homine noxio, pro quibus substituit solem et monstrum illud ex homine bestiaque commixtum. haec quicumque perlustraverit, eum, ni fallor, ordo quo sese excipiunt singula, offendet: cur enim illa de capite asinino et monstro aurium asininarum, quae argumenti sunt simillimi, ita alterum ab altero dirimit, ut duo interponat, quae in genere versantur alienissimo? atque causam quidem, qua commotus formam illam prodigiosam ultimo loco posuerit, ipse indicat. de tribus enim illis formis prioribus postquam verba fecit et ineptas de singulis opiniones refutavit, sic pergit: *sed nova iam dei nostri in ista proxime civitate editio publicata est,* quae est dei illius monstrosi. itaque hanc formam recens inventam prioribus illis addidit temporum secutus rat onem. cur autem, id enim quaero, trium priorum ordinem non ita constituit, ut de capite asinino loqueretur tertio loco? ita enim quae in re simillima versarentur salva temporum ratione iuxta essent posita. propterea, credo, non fecit, quia illum ordinem de capite asinino et de cruce apud Minucium institui videbat, quem dum sequitur simillima se divellere aut non animadvertit aut, quod magis crediderim, non curavit.

Haec quae disputavi qui vera esse sibi persuadebunt, ei Tertulliani apologeticum post Minucii Octavium conscriptum esse mecum statuent. Tertullianum semel errorem Minucii correxisse, saepius ipsum errasse cognovimus. quod ne gravius feramus, hoc cogitandum est: rhetor fuit Tertullianus, scriptor Minucius et sicuti dicendi genus ille sequitur fervidum incitatumque hic lene tractumque, ita argumentandi ratione ille utitur turbida ac captiosa, hic placida atque veraci.

II.

De sermone Minuciano pauca delibabo, quae ad genus quo utitur orationis cognoscendum et ad artem criticam factitandam apposita mihi esse videantur. Afrum fuisse Minucium etsi non traditum est, tamen plurimis argumentis ita confirmari video, ut veri simillimum esse concedam. atque Minucii orationem insignibus artis lenociniis pictam esse qui enuntiatum quodlibet leviter perstrinxerit oculis auribusve hauserit — eae enim in iudicandis dicendi artificiis locupletiores testes et a veteribus sunt habitae et a nobis existimandae —, statim persentiscet. quam nunc nava quaedam virorum cohors barbaro foedae vocabulo rei imposito 'Africitatem' esse oggannit[1]): hos si ita refutare vellem, ut tandem aliquando confusi obmutescerent, longis demonstrandi opus esset ambagibus, gravis enim error penitus insedit mentesque occupavit inde a renatis litteris[2]), cum tersi illi homines et re vera urbani, quibus prae Cicerone cetera sordere longeque, ut ait Petrarca, dissona esse viderentur, Afros quasi recte loquendi imperitos protervis conviciis incesserent, Appuleium videlicet ut asinum germanum — haec enim illi sonabant dicteria — rudere contenderent, ne ab Augustino quidem sacrilegas manus abstinerent. hinc proseminati quidam etiamnunc in plena bonarum litterarum luce Appulei antitheses et isocola affabre facta ex psalmis explicant irato Hebraeorum deo cum Salomone suo, hinc nuperrime homo quidam peregrinus grande de Afris conscribillavit volumen, quod cum legissem in mentem mihi venerunt facetissima Varronis verba neminem aegrotum quicquam somniare tam infandum quod non aliquis dicat philologus, etsi philosophum dixit Varro. quid enim placidius de eo praedicari potest, qui eo usque processit deliramentorum, ut Appuleium — bellum opinor sophistam et myropolia Isocratia fragrantem — Punica balbutientem faceret quae Afra nutrix ei praeiisset vocabula? a solide conceptum, plene maturatum, digne

1) Non eos nunc dico qui singula verba Afra ex scriptoribus eligunt — quamquam ne hi quidem certa mihi videntur inniti ratione —, sed qui de totius orationis colore Africano fabulantur.

2) Vetera de Afro Minucii charactere iudicia vide apud I. Weissenbachium de eloquentia patrum vol II (Aug. Vind. 1775) p. 31 sq.

editum. nos nigris illis hominibus et berberis ut litterarum artiumque optimarum imperitis ac profanis a nostris quidem studiis procul abesse et in penitissimis Syrtium suarum recessibus arte et graviter dormire iussis Horatianum illud quasi ex oraculo effatum secuti graeca volvamus exemplaria, quae si quis in latinis litteris versatus quasi aliena longeque remota spernet ac respuet, dum caeco praecipitatur impetu, numquam non lapsus turpiter corruet.

1. Primarium orationis suae χαρακτῆρα Minucius ipse indicat, cum Caecilium in peroratione sibi ipsum plaudere facit propter *concinnitatem sermonis* (c. 14,2). concinnus sermo qui sit, optimus harum rerum iudex sic exponit, cum de genere orationis demonstrativo scribat (*or.* 38): *datur etiam venia concinnitati sententiarum et arguti certique et circumscripti verborum ambitus conceduntur, de industriaque et non ex insidiis sed aperte ac palam elaboratur, ut verba verbis quasi demensa et paria respondeant, ut crebro conferantur pugnantia comparenturque contraria, et ut pariter extrema terminentur eundemque referant in cadendo sonum.* cuius artis quodvis Minucii enuntiatum exempla praebet omnium luculentissima, quin modum ea in re ita excedit, ut circino et regula admotis noctes diesque nihil fere aliud eum egisse existimes, nisi ut verba tornaret derigeretque sententias. qua in re quos secutus sit auctores neminem fugit artis peritum, atque Cicero ipse harum figurarum inventores dicit Thrasymachum Gorgiam Isocratem alios quos λογοδαιδάλους in Phaedro nominat Plato. sed quid hi ad Minucium? graecorum adi eius aetatis auctorum scripta ut Polemonis, Herodis, Adriani sophistarum declamationes, Philostrati lege vitas et quae in his afferuntur rhetorum fragmenta: veterum sophistarum germina consimili in agro luxuriose pullulasse et a graecis ad latinos auctores, veluti Minucium Appuleium Tertullianum, propagata esse cognosces. Minucii igitur genus scribendi qui recte aestimabit, is in illorum eum ponet scriptorum numero, quos paulo ante Minucii tempora Quintilianus in libris institutionum oratoriarum propter nimium sermonis nitorem putidamque elegantiam castigarat: *sunt*, inquit (IX 3, 100), *qui neglecto rerum pondere et viribus sententiarum, si vel inania verba in hos modos depravarunt, summos se iudicent artifices ideoque non desinant eas nectere, quas sine substantia sectari tam est ridiculum quam quaerere habitum*

gestumque sine corpore . . . sciendum vero in primis, quid quisque in orando postulet locus, quid persona, quid tempus: maior enim pars harum figurarum posita est in delectatione. ubi vero atrocitate invidia miseratione pugnandum est, quis ferat contrapositis et pariter cadentibus et consimilibus irascentem flentem rogantem, cum nimia in his rebus cura verborum deroget adfectibus fidem, et ubicumque ars ostentatur, veritas abesse videatur. quae tam diserte dicta sunt, ut quibus aptius Minuciani sermonis colorem describas vix inveneris, quamquam in Minucii honorem hoc videtur addendum esse, eum figuris delectationis causa adhibitis rerum pondus et gravitatem debilitasse, non fregisse, ut dulcia quibus abundat vitia, quae aures sensumque mire quasi titillant suavique permulcent voluptate, prae forti Tertulliani dignitate vehementique fervore saepius amplectaris quam respuas. sed ne desit huius dicendi moris testimonium Minucio fere aequale, haec Gellius, veteris monetae sectator querulusque minorum castigator, adversus sui temporis artifices dicendi scribit *noctium atticarum* XVIII 8: ὁμοιοτέλευτα *et* ἰσοκατάληκτα *et* πάρισα *et* ὁμοιόπτωτα *ceteraque huiusmodi scitamenta, quae isti apirocali qui se Isocratios videri volunt in conlocandis verbis immodice faciunt et rancide, quam sint insubida et inertia et puerilia, facetissime hercle significat in quinto saturarum Lucilius:* sequuntur nobiles poetae ingeniosissimi versus, quibus cum suorum temporum Isocratiis sive eos Asianos dicere mavis urbano lepore cavillatur: quorum rationem simillimam fuisse eius qua sub imperatoribus vulgo utebantur, veterum inde a Catone Gracchoque scriptorum reliquiae latinorumque rhetorum exempla in libris rhetoricis ad Herennium tradita demonstrant. attamen haec quae sunt graviora neque levi, quod aiunt, bracchio agenda, nunc non longius persequor: alia quaedam huc pertinentia tractabo, quae mihi non nullius ponderis esse videantur.

Poetas enim barbaros, cum carmina pangunt rimis sive — ut paulo molliore utar vocabulo — leonina consonantia vincta, necessitate coactos rarioribus saepe vocibus aut vocum insolitis declinationibus uti[1]), quin etiam totius orationis circuitum duriuscule circumducere,

1) Confer Goethii consonantias quales sunt: Lüften — düften (alterum verbum est, non nomen), auf der Brücken — dem Entzücken, sescenta huiusmodi.

dum longas verborum ambages in angustissimum gyrum coartant, nos cum pueri essemus magistri docuerunt, postquam viri facti sumus si qui forte ipsi fonte hausimus caballino, usus ipse edocuit. mirum igitur ni veteres quoque λογοδαίδαλοι, non quidem ei qui poeticis operam dabant — Musae enim Camenaeque in gothicis ornamentis inhorruerunt — sed qui prosam orationem tam faceta arte struebant, ut opera quasi musiva tesserulis, ut ait Lucilius, lepide exornata componerent, mirum, inquam, ni illi, eodem ducti studio quo recentes poetae, eidem nonnumquam vitio — si tamen vitium appellandum est, quam plurimi licentiam a dis ipsis Musarum filiis concessam dicunt, — sese alligaverunt. cuius rei quae multo usu mihi collegeram exempla, ex iis quaedam proposuisse non alienum mihi visum erat ab opere instituto, atque initium quidem faciam ab Minucio, de quo nunc cum maxime agitur.

Minucius[1]) c. 3,3 *cum in ipso aequoris limine plantas tingueremus-, quod vicissim nunc adpulsum nostris pedibus adluderet fluctus-, nunc relabens ac vestigia retrahens in sese resorberet.* verbi quod est *adludere* transitive usurpati unum extat exemplum Catulli 64,61 *omnia quae toto delapsa e corpore passim Ipsius ante pedes fluctus salis adludebant*, quod exemplum cum plerisque non idoneum videretur ad defendendum eundem usum in Minucio, locum varie emendabant. 4,4 *iam dudum me Octavi nostri acriter angit et remordet oratio-, qua in te invectus obiurgavit neglegentiae-, ut me dissimulanter gravius argueret inscientiae.* obiurgandi verbum cum casu genetivo nemo praeter Minucium h. l. videtur coniunxisse, unde *neglegentiam* Baehrensius, novissimus Minucii interpolator. 5,4 *cum tantum absit ab exploratione divina- humana mediocritas*, ubi *ab exploratione rerum divinarum* Heumannus, quod ipso rhythmo duce explodimus. ibidem *neque quae supra nos caelo suspensa sublata sunt- neque quae infra terram profunda demersa*

1) In eius verbis afferendis lineola transversa posita rhetoricam indico interpunctionem, qua in constituenda certissimus dux rhythmus. regnant clausulae (quae sunt unius vocabuli vel plurium rhythmicae comprehensiones) in cretico pede nixae ⏗ ⏑ ⏗̀ ⏗ ⏑ ⏗̀ et ⏗ ⏑ ⏗̀ ⏗ ⏒, porro ditrochaeus ⏗ ⏑ – ⏒; pro longis syllabis breves binae substitui possunt, sed loco cretici raro subvenit molossus. de ipsa re Meyeri nunc Gottingensis praeclara legens vestigia alibi accuratius disseram.

sunt, ubi cum multis insana temptat interpolator; ceterum Minucius ne nimia fieret similitudo, quae in ceteris putide exaequatis exspectanda erant verba *infra nos terra* scite mutavit. 5,8 *homo et animal omne quod nascitur inspiratur attollitur-, elementorum voluntaria concretio est* e. q. s. in his verbum quod est attollere de puero attollendo intellegi non posse sed crescendi significatione adhiberi apparet, quam propter passiva quae antecedunt verba auctor admisit; *et alitur* Ursinus vitiose. 11,2 *anceps malum et gemina dementia-, caelo et astris quae sic relinquimus ut invenimus-, interitum denuntiare-, sibi mortuis exstinctis qui sicut nascimur et interimus-aeternitatem repromittere.* offendunt in structura insolita quae efficitur his verbis *sibi . . qui nascimur*, unde *hominibus* (i. e. *hoib'*) ridicule quidam corrupit. primam personam posuit propter ea quae praecedunt verba, *sibi* non 'nobis' propter id quod sequitur *repromittere*, ut ἑαυτοῖς Graeci. 14,7 *quod utrimque omni in negotio disseratur-et ex altera parte plerumque obscura sit veritas-, ex altero latere mira subtilitas-*, in quibus id quod fere omnes temptant *latere* vocabulum complementi instar esse harum rerum gnari vident[1]). 16,5 *sciat omnes homines sine dilectu aetatis sexus dignitatis- rationis*

1) Confer Dionysium de comp. verb. 9 ἀλλὰ μὴν ὅτι γε καὶ μετασκευὰς δέχεται τῶν κώλων ἔνια, τοτὲ μὲν προσθήκας λαμβάνοντα οὐκ ἀναγκαίας ὡς πρὸς τὸν νοῦν, τοτὲ δ' ἀφαιρέσεις ἀτελῆ ποιούσας τὴν διάνοιαν, ἃς οὐκ ἄλλου τινὸς ἕνεκα ποιοῦσι ποιηταί τε καὶ συγγραφεῖς ἢ τῆς ἁρμονίας ἵν' ἡδεῖα καὶ καλὴ γένοιτο, πάνυ ὀλίγοις δεῖν οἴομαι λόγου. τίς γὰρ οὐκ ἂν ὁμολογῆσαι, τήνδε τὴν λέξιν, ἣν Δημοσθένης εἴρηκε, προσθήκῃ πλεονάζειν οὐκ ἀναγκαίᾳ τῆς ἁρμονίας ἕνεκα· ὁ γὰρ οἷς ἂν ἐγὼ ληφθείην ταῦτα πράττων καὶ κατασκευαζόμενος, οὗτος ἐμοὶ πολεμεῖ, κἂν μήπω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ· βραχύτερον τοῦ δέοντος ὂν καὶ οὐχ ἡδὺ ἀκουσθῆναι τῇ προσθήκῃ ταύτῃ γεγένηται χαριέστερον (nobilissima Demosthenis periodus propter clausulam creticam graviter incedentem). καὶ ἔτι τὴν Πλατωνικὴν ἐκείνην περίοδον, ἣν ἐν τῷ ἐπιταφίῳ ὁ ἀνὴρ γράφει, τίς οὐκ ἂν φαίη παραπληρώματι λέξεως οὐκ ἀναγκαίῳ προσηρανίσθαι; ἔργων γὰρ εὖ πραχθέντων | λόγῳ καλῶς ῥηθέντι | μνήμη καὶ κόσμος γίνεται | τοῖς πράξασι παρὰ τῶν ἀκουσάντων. πρὸς οὐδὲν ἀναγκαῖον λέγεται, ἀλλ' ἵνα τὸ τελευταῖον κῶλον τὸ τοῖς πράξασι πάρισόν τε καὶ ἐφάμιλλον τοῖς πρὸ αὐτοῦ γένηται (nimirum per εἰρωνείαν, ut solet, Menexeni auctor quem Platonem esse mihi persuasum est, γοργιάζει. nota etiam clausulam ⏑́ ⏑ ⏓ ⏑́ –) cf. c. 22. alio loco (de Isocr. 3) Isocratem numeris nimis servientem παραπληρώμασι λέξεων οὐδὲν ὠφελουσῶν χρῆσθαι καὶ ἀπομηκύνειν πέρα τοῦ χρησίμου τὸν λόγον exponit, cf. etiam de vi Demosth. 17 sq., ubi elegantissimam quandam Isocratis periodum pro more quo uti solet scholastico in partes discerpit. Gregorius Nyssenus libro ad talia cognoscenda philologis tam utili quam neglecto, quo in Eunomium haereticum et sophistam invehitur I 452 C καθάπερ γὰρ ἐπὶ τῶν καλλιγραφούντων τὸν

et sensus capaces et habiles procreatos-, nec fortūna nanctos sed natura insitos esse sapientiam. in his *insitos* v. cum fere omnium consensu depravatum habeatur, alii aliter loco subvenire conantur, qua de re conferas Halmii adnotationem; inter insanos qui solus sapere sibi visus est interpolator, deleto *insitos* vocabulo palmam fert insaniae. cetera exempla si cogitabis, concinnitatis gratia scriptorem audacissime locutum esse mecum statues. 20,3 *quicquid famae licet fingere-, illis erat libenter audire.* constructionem graecam sive eam mavis dicere volgarem — quas in latinis quidem auctoribus aegre nonnunquam discernas, quamquam apud Minucium prior ratio potior — quapropter adhibuerit apparet. 21,1 *Isis perditum filium luget plangit inquirit* inquirendi verbum etsi alii quoque auctores cum quarto casu coniungunt, tamen se *anquirit* malle Halmius adnotat, quod in textum recipit interpolator. 23,12 *deus*

λόγον σύνδεσμοί τινες τοῦ ῥυθμοῦ τὸ ἐνδέον παραπληροῦσι τὸ εὐηχόν τε καὶ ἐναρμόνιον δι' αὐτῶν ἐντιθέντος τῇ συνάξει τῆς λέξεως, οὕτως κτλ., cf. etiam Guilelmi Schmidii libri de Atticismo quem aiunt conscripti vol. I p. 180. sed quae Graeci παραπληρώματα, ea Cicero *complementa* vocat hoc loco (*or.* 230): *apud alios autem et Asiaticos maxume numero servientes inculcata reperias inania quaedam verba quasi complementa numerorum.* Quintilianus moris qui tunc obtinebat acris vituperator *institutionum* l. IX 4,58 *otiosa vocabula adici* vetat. — Atticum scriptores quod ratione aut laudabant aut vituperabant, id usu comprobatur scriptorum, qui aut nativo quodam elegantiae studio praediti erant aut putidam affectabant elegantiam. veluti Xenopho in Hieronis epilogo (11,12) tersam concinnans periodum ἑκόντας inquit τοὺς πειθομένους ἔχοις ἂν καὶ ἐθελουσίως σου προνοοῦντας θεῷο ἄν· εἰ δέ τις κίνδυνος εἴη, οὐ συμμάχους μόνον ἀλλὰ καὶ προμάχους καὶ προθύμους ὁρῴης ἄν, et in Agesilai prooemio (1,3) ὥστε οὐ δευτέρων πρωτεύουσιν ἀλλ' ἡγεμόνων ἡγεμονεύουσι, quae exempla allata video a Radermachero mus. Rhen. vol. LI p. 609; id genus plurima in Gorgiae scriptis inveniuntur, cuius auctoritas cum usque ad litterarum graecarum interitum polleret, apud multos posterioris aetatis scriptores similia leguntur, velut apud ignotum Pauli et Theclae actorum editorem c. 3 (p. 237 Lips.) εἶδεν δὲ τὸν Παῦλον ἐρχόμενον, ἄνδρα μικρὸν τῷ μεγέθει, ψιλὸν τῇ κεφαλῇ, ἀγκύλον ταῖς κνήμαις. ex latinis scriptoribus ipsum Ciceronem cito, quem saepissime hac loquendi ambage usum esse constat, velut in oratione iuvenali qua Sex. Roscium defendit (17): *erant ei veteres inimicitiae cum duobus Rosciis Amerinis, quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video, alterum tria huiusce praedia possidere audio,* ubi vide quae adnotat Landgrafius et quae ex auctore librorum ad Herennium scriptorum Marxius (praef. p. 86 sqq.) attulit plurima. sed Cicero ne cum inlustris quidem haberetur et clarus, talia omnino sprevit, velut in oratione Catilinaria secunda (1) *cum illum,* inquit, *ex occultis insidiis in apertum latrocinium coniecimus,* cuius exempli simillimum id est quod multa cum reprehensione ex Floro, Asiano quodam rhetore, Seneca pater affert *controversiarum* nono (2,24): *refulsit inter privata pocula publicae securis acies.*

aereus vel argenteus de inmundo vasculo, ut accepimus factum Aegyptio regi-, *conflatur tunditur malleis*- *et incudibus figuratur.* ibi ex Meursii coniectura vulgo <*in*> *incudibus* scribunt propter consimilem locum qui est c. 23,6 *fulmen cum armis Aeneae in incude fabricatur;* sed priore illo loco ablativum solum posuit propter eiusdem casus antecedentis similitudinem. 23,13 *tunc postremo deus est, cum homo illum voluit et dedicavit.* illud *voluit* arguta brevitate cum sequenti verbo coniunxit; *vovit* Meursius, *coluit* Davisius, *posuit* interpolator. 25,6 *totiens ergo Romanis inpiatum est quotiens triumphatum*-, *tot de diis spolia*- *quot de gentibus sunt tropaea.* recte se habent *de gentibus tropaea*, ut Suetonius *tropaea C. Marii de Iugurtha*, sed his *de diis spolia* verbis audacter significantur 'spolia de diis detracta', debuit igitur aut sic aut ut supra (25,5) *spolia deorum.* 34,3 *ita corpus in sepulcro*-, *ut arbores in hiberno.* vocabulum paulo volgarius et propter similiter desinens et propter rhythmum (–́ ◡ –̀ – –) ascivit. 37,3 *dei miles nec in dolore deseritur*- *nec morte finitur.* debebat certe 'nec eius vita m. f.'

Cum Minucio, ut par est, coniungo Tertulliani apologeticum. eius capite 7 haec leguntur de fama: *quae ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, sine mendacii vitio est detrahens adiciens demutans de veritate.* — eiusdem c. 11 *quis ex illis deis vestris gravior et sapientior Catone, iustior et militarior Scipione:* durissimum procudit comparativum. — c. 25 *certe non potest fidei convenire, ut religionis meritis excrevisse videantur qui, ut suggessimus, religionem aut laedendo creverunt aut crescendo laeserunt.* debebat sic: 'aut laedendo religionem creverunt aut crescendo laeserunt', sed ne periret figura belle tornata, *religionem* vocabulum in principio collocavit insolentissime. — c. 42 *cum interim plus nostra misericordia insumit vicatim quam vestra religio templatim,* in quibus quod ultimum est vocabulum figurae causa audacissimo invento novavit.

Cum Tertulliano, subducti supercilii homine severissimo, in arenam descendat Appuleius, praestigiator omnium nugacissimus, si simias eius excipis Martianos Sidonios et si qui alii in plena litterarum barbarie inter *eils*, ut ait ille, goticum linguae latinae splendorem oris fuligine obduxerunt dignitatemque ineptiis et ludibriis fregerunt. sed ea in re sibi magis constans Appuleius, quod cum

sermonis facetiis concinere voluit argumentorum levitatem — nam ne in causae quidem quam egit veritate quasi funambuli et petauristae se praestare vices prorsus obliviscitur —, Tertullianus ne in gravitate quidem causarum et cum quasi fremit indignatione ludere verbis noluit: qua in re utrumque, graeca latinaque facundia pariter disertum, graecos eius aevi sophistas aeque nugatorios imitari, non ignorat nisi qui latina turpiter divellit a graecis. sed ex Appuleio cum multa eiusmodi afferri possint, eligam pauca. in oratione qua veneficii crimen diluit, ita scribit c. 2: *ne omnino desistere videretur calumnia magiae, quae facilius infamatur quam probatur*, ubi *qua* Burmannus. sane nemo praeter Appuleium sic locutus est, sed contra linguam peccare quam doctam omittere figuram maluit. — idem in declamationibus illis sophistarum more publice habitis, ubi solito plus insanit, haec posuit (*flor.* 3): *quid quod et vestis textu tenuis, tactu mollis, purpura radians? quid quod et lyra eius auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat?* pro quo *variegatur* Heinsius et Oudendorpius, quia variegandi verbum nemo intransitive usurpavit; sed iam Hildebrandium recte adnotare invenio, *fulgurat candicat variegat* verba propter soni similitudinem ab Appuleio consulto esse electa. — ibidem (6): *Indorum non aeque miror eboris strues et piperis messet et cinnami merces*, pro quo *mercedes* falso Kruegerus, novissimus floridorum editor. — ibidem (9) *omnia secum quae habebat nihil eorum emerat* (Hippias), *sed suis sibi manibus confecerat, et indumenta quibus indutus et calceamenta quibus erat inductus et gestamina quibus erat conspicatus.* in his quo utitur conspicandi verbo, eius non solum passiva forma rarissime ponitur, sed qui participium ea significatione usurparit quam *conspicuus* adiectivum vel *conspiciendus* gerundium obtinere solent, nemo videtur inveniri. hinc *conspicuus* vulgo scribunt, *constipatis* Salmasius, *conspicatui* Oudendorpius. nos ioculatorem iocari sinemus.

Addo exempla quaedam ex liberae rei publicae primique imperii auctoribus petita. atque Cicero quidem quantum dilexerit sententiarum concinnitatem, illis quae et ratione obtinuit et usu adhibuit amplissime edoemur. sed ut decuit summum qui in luminis editus est oras dicendi artificem, ne linguae leges propter loquendi figuras belle contortas violaret, accurate plerumque dedit operam. nam

latini quidem rhetores, quorum historia ne diutius lateat insigni Friderici Marxii acumini debetur, pingui illi Minerva usi rectique iudicio destituti, dum intempestive ac pueriliter ubique captant figuras, rariores verborum formas passim admiserunt, velut in eo exemplo quod auctor rhetoricorum ad Herennium finxit libro quarto (20,28) *audaciter territas, humiliter placas*, vel primo (11,19) *casu et fortuitu*[1]) *navis in portum incolumis delata est*, quorum exemplorum similia Marxius collegit praefationis p. 171. non ita Romanae eloquentiae deus, suaviloquenti ille Attices facundiae tinctus lepore. sed tamen inveniuntur exempla haud pauca, quibus concinnitatis causa linguam ut non laesisse ita a solita quam analogiae obtemperans sibi ipse sanxit norma paulum deflexisse demonstratur. veluti in lingua latina, ut est prae graeca molli mobilique rigidior aliquanto et durior, substantiva quae dicunt verbalia antiquis tantummodo temporibus, cum severis rationis normis nondum subacta sed nativo quodam vigore praedita liberius multo atque effusius evagaretur, cum casibus coniungi notum est; namque ut Plato τὰ παρ' ἡμῶν δῶρα τοῖς θεοῖς et Thucydides ἡ τῶν χωρίων ἀλλήλοις οὐκ ἀπόδοσις ita Plautus *quid tibi hanc curatiost rem*, vel *quid mihi scelesto tibi erat auscultatio quidve hinc abitio? quidve in navem inscensio*, sescenta alia; quae iam a Terentio, nisi fallor, aliena sunt (cf. Ruhnkenii adnotationem in Andriae v. 400) neque id mirum, cum Plautum inter et Terentium maximeque ipsius Terentii aetate existerent homines et litterarum et nobilitatis auctoritate excellentes, qui linguae libere spirantis securam felicitatem arte et ratione reprimerent. ex posteris igitur qui Plautinum imitatus sit exemplum unum invenio Marcum Caesarem qui ad Frontonem magistrum ita scripsit (II 15): *illa cottidie tua Lorium ventio*, quod ex Truculenti Plautinae fabulae v. 599 *quid tibi huc ventio* expressum esse ipso ventionis nomine demonstratur (quamquam *domum itio*, *iter Alexandream, introitus Zmyrnam* in vocabulis motum significantibus Cicero Caesar alii dixerunt). qua in re Cicero, etsi ad Plautinae dictionis audaciam sive ut rectius dicam veritatem ac simplicitatem non prorsus accedit, tamen ubi sententias belle figurat aut definitiones apte concludit, brevitate quadam

1) *Noctu diuque* inde a Plauto et Sallustio usque ad Tacitum et Appuleium legitur.

enuntiandi usus esse ostenditur, qua alias non admittit. nam in eo quod de oratore composuit opere omnium meo quidem iudicio doctissimo et elegantissimo, ubi ad minutas rhetorum partitiones iussu potius aliorum quam sua sponte pergit, postquam commorationem explanationem percussionem significationem extenuationem triginta octo eodem modo formata vocabula posuit, his addit (III 53,202) *sub aspectum paene subiectionem* et *ad hilaritatem impulsionem*, quibus vertit ὑποτύπωσιν et χαριεντισμόν graeca; deinde novo quasi impetu facto viginti alia vocabula in eundem sonum cadentia serit, in his quam Graeci dicunt ἀπόφασιν ille dicit *sibi ipsi responsionem*. simili de causa *omnem rerum optimarum cognitionem atque in eis exercitationem philosophiam nominari* scribit *de or.* l. III 60. porro conferas haec: *top.* 28 *abalienatio est eius rei quae mancipi est aut traditio alteri nexu aut in iure cessio*; *de rep.* I 2,2 *usus enim* (rei publicae) *est maximus earum ipsarum rerum reapse non oratione perfectio; in Pis.* 40 *vexatio Macedoniae an oppidorum turpis amissio an sociorum direptio an agrorum depopulatio an munitio Thessalonicae an obsessio militaris viae an exercitus nostri interitus ferro fame frigore pestilentia; or. Phil.* II 62 *Italiae percursatio, in oppida deductio, in urbe auri direptio.* quibus addas haec orationum exempla. *concredere* verbum Cicero duobus antiquissimarum orationum locis adhibuit his: *pro Quinct.* 62 *cui tu famam tuam commendare et . . concredere solebas, pro Rosc. Am.* 113 *cui . . . fortunae vivi commendatae sunt atque concreditae,* quod ex commendandi verbo iuxta apposito recte explicat Thielmannus de sermonis proprietatibus quae leguntur in primis Ciceronis libris p. 11. *pro Rosc. Am.* 111 *in privatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset sui quaestus aut commodi causa verum etiam neglegentius, eum maiores summum admisisse dedecus existimabant* ubi *malitiosius* comparativum priorem propter *neglegentius* sequentem positum esse Landgrafius, optimus orationis editor et enarrator, recte adnotat. *in Catil.* III 16 *nihil erat quod non ipse obiret occurreret, vigilaret laboraret; pro Sest.* 102 *haec fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur; pro Planc.* 64 *negotiatoribus comis mercatoribus iustus, municipibus liberalis sociis abstinens; pro Marc.* 8 *domuisti gentes immanitate barbaras, mul-*

titudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, pro quibus debebat 'gentes immanitate barbara, multitudine innumerabili, locis infinitis', ut est *de sen.* 12 *innumerabilis multitudo bonorum, pro Sest.* 125 *innumerabilis hominum multitudo, in Verr.* IV 107 *spelunca infinita altitudine*[1]). — *Phil.* III 39 *senatui magnae curae esse ac fore ut pro tantis eorum in rem publicam meritis honores eis habeantur gratiaeque referantur:* sed 'gratias referre' praeter hunc locum semel posuit ambiguitatis tollendae causa *pro Planc.* 101 *me si essem in patriam restitutus, praesentem tibi gratias relaturum*[2]), atque *Philippicae* orationis l. c. cum potuisset scribere *honos ei habeatur gratiaque referatur*, noluit propter rhythmum, nam *gratiaeque referantur* ut *esse videatur.* ex ceteris Ciceronis scriptis duo afferam exempla quae ad praepositionum usum pertinent: *de nat. deor.* I 35,97 *terra mari, paludibus fluminibus.* paulo rariorem significationem *ad* praepositio in his verbis sibi ascivit quae leguntur *Bruti* 202 *ut ad* (h. e. secundum) *infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus*[3]).

Sallustius quamquam ut Tacitus multo saepius orationis concinnitatem turbat quam sectatur, tamen rasis interdum quae Aristophanes et Persius poetae dicunt utitur antithetis sed quae vim sermonis augeant non frangant, linguaeque praecipit potius quam paret. nam in *Catilinae* capite 5 scribit *animus alieni appetens, sui profusus*, capite 7 *laudis avidi, pecuniae liberales erant;* non prorsus constat de his verbis (c. 9,5) *in pace . . . beneficiis magis quam metu imperium agitabant et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant*, nam *magis* quamquam in optimis plurimisque codicibus omittitur, ab editoribus in textum recipitur, qua de re aliter iudico: graecam enim more suo constructionem notissimam admisit, ut loco nobili et elato

1) Confer S. Schmidium, Unters. über d. Echtheit d. Rede pro Marcello (Turici 1888) p. 32.

2) Vide de his locis recte disputantem Petrum Langenium, Beitr. zur Krit. u. Erkl. d. Plautus p. 12.

3) De praepositionum usu quae huc pertinent exempla et Ciceronis et Livii collecta inveniuntur in Kuehnasti libri cui inscripsit Die Hauptpunkte der livianischen Syntax, editionis alterius p. 328 adn. 193. de modis temporibusque cf. Ziemerum libri utilissimi qui inscribitur Junggramm. Streifzüge p. 70 et 82 ed alt.

concinniorem redderet orationem. idem *belli Iugurthini* c. 69 civitatem poenam dedisse insolite dixit his verbis: *civitas magna et opulens cuncta poenae aut praedae fuit*, ubi vide interpretes. praepositiones ob similem causam saepius omisit, cf. *de bell. Iug.* 33,4 *Romae Numidiaeque facinora eius memorat.*

Ex posteris scriptoribus singula duorum exempla attulisse satis habebo, Vellei et Senecae, qui dulcibus uterque, ut ait Quintilianus, abundant vitiis. atque ille quidem *animi* locativum a Sallustio Vergilioque saepe adhibitum uno loco adhibuit hoc (II 27,1) *vir animi fortissimus bellique peritus*, hic rariorem verbi quod est *nocere* constructionem, de qua Buechelerus in thesauro Woelffliniano (II 118) allatis Senecae verbis egit, semel habet hoc loco (*ep.* 103,4) *non te ne noceant, sed ne fallant.*

Apud poetas quoque, modo excipiatur similiter desinentis figura ab illis aliena, talia inveniri consentaneum est. ex Plauto Langenius l. c. quaedam attulit. — apud Lucretium l. II v. 16 sqq. *nonne videre Nil aliud sibi naturam latrare nisi ut, cui Corpore seiunctus dolor absit mente fruatur iucundo sensu, cura semotus metuque* Lachmannus pro *mente* voc. scripsit *menti'*; sed ego neque mentis sensus qui sit intellego et cur poeta ita scripserit video. — Tibullum I 1,37 *adsitis, divi, nec vos e paupere mensa Dona nec e puris spernite fictilibus* libri manuscripti veteres cum florilegio Parisino *e paupere mensa* habent, codices recentiores *de* pro *e* interpolaverunt; *e* praepositionem recte se habere et interpretes intellexerunt et Rothsteinius de Tibulli codicibus p. 62 confirmavit. — Vergilius Aeneidos sexto (v. 353) de navi *spoliata armis, excussa magistro*, eiusdem poematis decimo (v. 280) *nec veterum memini laetorve malorum.*

Ex graecis auctoribus haec cursim percensebo exempla. Gorgias ipse, huius artificii pater ac princeps, in Helena — eum enim libellum Gorgiae esse haud cunctanter affirmo, nam qui propter sermonis ineptias eum sophistae celeberrimi esse negant, ei non satis mihi videntur cogitare, in ipsius opusculi fine auctorem se lusisse confiteri his verbis: ἐβουλήθην γράψαι τὸν λόγον Ἑλένης μὲν ἐγκώμιον, ἐμὸν δὲ παίγνιον, quod Aristotelis locupletissimi testis auctoritate confirmari video, qui artis rhetoricae libro III (7. 1408 b 20) Gorgiam

plerasque sermonis facetias μετ' εἰρωνείας fecisse dicit — is igitur Gorgias audacius quam usitatius loqui maluit, cum haec scriberet (15) ἃ γὰρ ὁρῶμεν, ἔχει φύσιν οὐχ ἣν ἡμεῖς θέλομεν ἀλλ' ἣν ἕκαστον ἔτυχεν. Gorgiae ampullas pigmentaque in demonstrativo quidem orationis genere non sprevit Lysias aut ut rectius loquar is quem Plato in Phaedro dialogo in Lysiae persona dicentem induxit, nam qui ipsius Lysiae orationem a Phaedro recitari putant, ei se Platonis manes sibi iratos habere sciant. sed de huius orationis charactere Socrates ipse iudicavit (234 E), ὅτι σαφῆ καὶ στρογγύλα καὶ ἀκριβῶς ἕκαστα τῶν ὀνομάτων ἀποτετόρνευται, ac re vera, ut in Protagora quoque et Convivio dialogis Plato eximium se praestitit cavillandi artificem, plurima hic per ludibrium inseruit Γοργίεια quae vocantur σχήματα neque prae bellis istis figuris consuetudinem dicendi mutare dubitavit. nam in his verbis (231 B) τοῖς δὲ μὴ ἐρῶσιν οὔτε τὴν τῶν οἰκείων ἀμέλειαν διὰ τοῦτο ἔστιν προφασίζεσθαι οὔτε τοὺς παρεληλυθότας πόνους ὑπολογίζεσθαι οὔτε τὰς πρὸς τοὺς προσήκοντας διαφορὰς αἰτιάσασθαι aoristi infinitivum plurimi emendando sollicitabant, sed quorum aures vocum modulationem callebunt, ei qua permotus causa αἰτιᾶσθαι scribere noluerit, sponte sentient, cf. exempli causa 233 E ἐκεῖνοι γὰρ καὶ ἀγαπήσουσιν καὶ ἀκολουθήσουσιν καὶ ἐπὶ τὰς θύρας ἥξουσιν, καὶ μάλιστα ἡσθήσονται καὶ οὐχ ἐλαχίστην χάριν εἴσονται καὶ πολλὰ ἀγαθὰ αὐτοῖς εὔξονται. eiusdem figurae causa eum frenos iniecisse quodam loco cursui orationis invenio: 233 B τοιαῦτα γὰρ ὁ ἔρως ἐπιδείκνυται· δυστυχοῦντας μέν, ἃ μὴ λύπην τοῖς ἄλλοις παρέχει, ἀνιαρὰ ποιεῖ νομίζειν· εὐτυχοῦντας δὲ καὶ τὰ μὴ ἡδονῆς ἄξια παρ' ἐκείνων ἐπαίνου ἀναγκάζει τυγχάνειν, poterat enim: παρ' εὐτυχούντων δὲ καὶ τὰ μὴ ἡδονῆς ἄξια ἐπαίνου ἀναγκάζει τυγχάνειν. idem Plato in persona Pausaniae Convivii p. 184 DE de officiis τοῦ ἐραστοῦ καὶ τοῦ ἐρωμένου haec scripsit: ὅταν εἰς τὸ αὐτὸ ἔλθωσιν ἐραστής τε καὶ παιδικά, νόμον ἔχων ἑκάτερος . . . . , ὁ μὲν δυνάμενος εἰς φρόνησιν καὶ τὴν ἄλλην ἀρετὴν ξυμβαλέσθαι, ὁ δὲ δεόμενος εἰς παίδευσιν καὶ τὴν ἄλλην σοφίαν κτᾶσθαι, τότε δὴ κτλ., ubi plerique editores alterum εἰς falso expungunt; neque ξυμβαλέσθαι infinitivus aoristi, optimis ille traditus libris manuscriptis, cum quibusdam editoribus mutandus, ut fiat ξυμβάλλεσθαι infinitivus praesentis: is enim cum grammaticae lege respondeat illi qui sequitur κτᾶσθαι, diversus est rhythmo, vide paulo ante de Phaedri loco

disputata. idem in laudatione funebri, quam partem esse voluit Menexeni dialogi — eum enim Platonis esse mihi persuadetur —, qua sui temporis rhetores quasi per cavillationem aemulatus dicendi lenocinia affatim adhibuit, insolita verbi forma uti quam figuram perdere maluit: 236 E ὅστις (λόγος) τοὺς μὲν τετελευτηκότας ἱκανῶς ἐπαινέσεται, τοῖς δὲ ζῶσιν εὐμενῶς παραινέσεται: recte ἐπαινέσεται, sed παραινέσεται, ut adnotant qui verborum formas collegerunt, praeter Platonem qui dixerit nemo invenitur. idem (Menon. p. 76 D) ubi Gorgiam secutus — confer enim nobilissimam Dilesii disputationem nunt. Berol. (a. 1884) p. 346 sqq. — definitionem adhibuit circumscripto verborum ambitu conceptam ἔστιν χρόα ἀπορροὴ σχημάτων ὄψει σύμμετρος καὶ αἰσθετός, praeter morem masculinam adiectivi formam usurpavit, prorsus ut in simili re Aristoteles, quem Dilesius affert l. c. p. 348,1, anal. post. A 27. 87 a 36 μονὰς οὐσία ἄθετος, στιγμὴ δὲ οὐσία θετός, nam θετός in feminino genere solus dixit Euripides Iph. A. v. 251. ex Isocratis qui falso dicitur oratione ad Demonicum haec duo exempla afferri video a Blassio operis de Atticorum eloquentia scripti vol. II p. 282 (ed. II): 52 ὥσπερ γὰρ τὴν μέλατταν ὁρῶμεν ἐφ' ἅπαντα μὲν τὰ βλαστήματα καθίζουσαν, ἀφ' ἑκάστου δὲ τὰ βέλτιστα λαμβάνουσαν, οὕτω δεῖ καὶ τοὺς παιδείας ὀρεγομένους μηδενὸς μὲν ἀπείρως ἔχειν, πανταχόθεν δὲ τὰ χρήσιμα συλλέγειν, nam ἱζάνειν verbum ex Atticis prosae orationis scriptoribus praeter Thucydidem, obsoleti sermonis affectatorem, nemo adhibuit; ibidem (44) τὴν μὲν γὰρ τούτων χρείαν ῥᾳδίως εἰδήσεις, τὸν δὲ μετ' εὐνοίας συμβουλεύοντα χαλεπῶς εὑρήσεις, quamquam illa verbi forma inde ab Aristotelis temporibus increbruit (conf. etiam 16). ex Demosthene, quem prae sermonis gravitate ac dignitate artis ostentationem putidamque dicendi elegantiam sprevisse constat, haud multa exempla congeras, confer tamen or. 6,18 ἀμφότερα οὖν οἶδε, καὶ αὐτὸν ὑμῖν ἐπιβουλεύοντα καὶ ὑμᾶς αἰσθομένους, ubi debebat αὐτὸς ὑμῖν ἐπιβουλεύων, vide etiam Rehdantzium et Blassium indicis Demosthenici rhetorici opera utilissima compositi p. 121 (ed. II). — posterioris aetatis scriptores brevitatis causa praetereo, quamquam plurima eiusdem rei exempla suppeditant[1]): Gorgiae enim Isocratisque figuras, quo magis saeculorum

1) Unum nominabo Plutarchum Atticae facundiae lepore ceteris praestantem. nam in libello urbanissimo, quo septem sapientium convivium enarratur,

vices decurres, eo maiorem plausum tulisse invenies; Gregorii theologi vel Procli episcopi CPtani orationes lege, lege Byzantinorum oratorum homilias ab hymnorum forma pertenui discrimine separatas: sescenta sponte invenies exempla veramque intelleges esse quam supra dixi similitudinem poetarum volgarium qui, dum carmina pangunt homoeoteleutis insignita, insolitas saepe usurpant vocabulorum formas.

2. Inter σχήματα quae Minucius pingendae orationis causa adhibuit maxime eminet quod ἀσύνδετον Graeci, Latini appellarunt dissolutionem (Quintilianus *inst. or.* IX 3,50). quam figuram inter *lumina* quae vulgo dicebant orationis Cicero enumerat *or.* 135: *cum demptis*, inquit, *coniunctionibus dissolute plura dicuntur*, conf. *de part. or.* 21. 53, ubi perorationi eam maxime servire exponit; atque aptam eam esse, cum quid instantius dicamus, nam et singula inculcari et quasi plura fieri, Quintilianus disserit l. c. eodemque modo

---

Aethiopum rex Amasidi Aegyptio ζητήματα proponenti sic respondisse fertur (c. 8 p. 153 A): τί πρεσβύτατον; χρόνος. τί μέγιστον; κόσμος. τί σοφώτατον; ἀλήθεια. τί κάλλιστον; φῶς. τί κοινότατον; θάνατος. τί ὠφελιμώτατον; θεός. τί βλαβερώτατον; δαίμων. τί ῥωμαλεώτατον; τύχη. τί ῥᾶστον; ἡδύ. in postremo vocabulo Wilamowitzius Herm. vol. XXV p. 216, quem per grammaticae leges desiderari videbat articulum, coniectura addidit. qua in re propter exempla supra allata ab illo mihi liceat dissentire, confer etiam Dionysium de comp. verb. 11 μέλος ἔχουσιν αἱ λέξεις καὶ ῥυθμὸν καὶ μεταβολὴν καὶ πρέπον. hoc loco emendabo quae apud Plutarchum praecedunt verba: 'ἀλλὰ μὴν' ὁ Νειλόξενος ἔφη 'τὴν μὲν τοῦ Αἰθίοπος ἐπίταξιν οὐδὲν ἂν τις ἄλλο πλὴν ἀχνυμένην σκυτάλην προσείποι κατ' Ἀρχίλοχον, ὁ δὲ σὸς (Periandrum alloquitur) ξένος Ἄμασις ἡμερώτερος ἐν τοῖς τοιούτοις προβλήμασι καὶ μουσικώτερος γέγονεν· ἐκέλευσε γὰρ αὐτὸν εἰπεῖν τὸ πρεσβύτατον καὶ τὸ κάλλιστον καὶ τὸ μέγιστον καὶ τὸ σοφώτατον καὶ τὸ κοινότατον, καὶ ναὶ μὰ Δία πρὸς τούτοις τὸ ὠφελιμώτον καὶ τὸ βλαβερώτατον καὶ τὸ ἰσχυρότατον καὶ τὸ ῥᾷστον εἰπεῖν'. 'ἆρ' οὖν ἀπεκρίνατο καὶ διέλυσε τούτων ἕκαστον'; 'οὕτως' ὁ Νειλόξενος ἔφη· 'κρίνετε δ' ὑμεῖς ἀκούσαντες' κτλ. in his εἰπεῖν verbum primus — modo fides habenda sit novissimo Plutarchi interpolatori — delevit Hercherus; atque illud eo quo legitur loco tolerari non posse quivis videt, sed quo modo textui inculcatum sit, non apparet. emendandi via certissima Plutarchi usu monstratur; ipsum illud dicendi verbum in eis quae sequuntur desideratur, neque enim Plutarchus, cum totiens sese excipiant colloquentium orationes, ullo loco verbum illud, quo indicantur personarum vices, omisit. scribendum igitur: 'καὶ τὸ ῥᾷστον'. 'ἆρ' οὖν', εἶπεν (sc. ὁ Περίανδρος, nomen dicentis omissum est ut c. 3 p. 149 A), ἀπεκρίνατο (sc. ὁ Αἰθίοψ)' κτλ. vocabulorum ordo turbatus est ut c. 3 p. 149 E. ubi quod in codicibus traditur ἀφεὶς ὁ Θαλῆς με καὶ λαβόμενος τῆς ἐκείνου χειρὸς ἐφ' ἃ μὲν Διοκλῆς κελεύει δράσεις καθ' ἡσυχίαν a Xylandro quidem et Reiskio emendatum est: χειρὸς ἔφη· 'ἃ μὲν' κτλ., sed id contra scriptoris morem factum est, qui dicendi verbum sequentibus inserit, non anteponit; legendum igitur: χειρὸς 'ἃ μέν', ἔφη, 'Διοκλῆς' κτλ.

auctor libelli de sublimitate (19 sqq.), cuius verba postea afferam; denique memorabilem apud Plutarchum inveni locum, ubi talia minime expectabam, in Platonicarum quaestionum decimae capite quarto (p. 1010 EF 1011 A): λόγος συνδέσμων ἐξαιρεθέντων πολλάκις ἐμπαθεστέραν καὶ κινητικωτέραν ἔχει δύναμιν, quod postquam Homeri et Demosthenis exemplis confirmavit, in fine addit haec: διὸ καὶ σφόδρα τὸ ἀσύνδετον σχῆμα παρὰ τοῖς τέχνας γράφουσιν εὐδοκιμεῖ· τοὺς δ' ἄγαν νομίμους ἐκείνους καὶ μηδένα σύνδεσμον ἐκ τῆς συνηθείας ἀφιέντας ὡς ἀργὴν καὶ ἀπαθῆ καὶ κοπώδη τῷ ἀμεταβλήτῳ τὴν φράσιν ποιοῦντας αἰτιῶνται. quibus omnibus et tempore et auctoritate Aristoteles excellit, qui artis rhetoricae libro III (c. 11. 1413 b 29 sqq.) de asyndeti vi ac natura clare disputavit. de hac igitur figura, quam quasi regnare apud plurimos utriusque linguae auctores constat, paulo uberius nunc disputare libet, sed de hac maxime asyndeti specie quae proprie dicitur, qua plura vocabula, sive ea sunt nomina sive adiectiva sive verba, demptis coniunctionibus aliud alii quasi affiguntur. sed eius adhibendae figurae summa lex haec fuit, ne ingens indiscretusque vocabulorum numerus molis instar indigestae cumularetur, sed ut certa quaedam et ad regulam exacta multitudo ambitu circumscripto poneretur. nam sicubi apud scriptores copiam vocum non accurate distinctam sed inepte exaggeratam invenies, eos tu scriptores scito ex optimorum auctorum numero esse eximendos. nam, ut exempla quaedam afferam, is qui Xenophontis nomen furatus libellum de venatione composuit, cum c. 3 haec scribit: χείρους δὲ καὶ πλείους αἱ τοιαίδε (κύνες)· μικραί, γρυπαί, χαροποί, μυωποί, σκληραί, ἀσθενεῖς, ψιλαί, ὑψηλαί, ἀσύμμετροι, ἄψυχοι, ἄρρινες, οὐκ εὔποδες, eiusque generis multa a Radermachero nuper collecta (mus. Rhen. LI a. 1896 p. 603 sq.), quam sit alienus a tersa Xenophontis elegantia, luculenter ipse demonstrat. neque recte is qui Alexandrina quam vocamus aetate Salomonis sapientiam conscripsit, quamquam linguae vigore et puritate ceteris Iudaeis graecissantibus praestat, plurima haec cumulavit: ἔστιν γὰρ ἐν αὐτῇ (τῇ σοφίᾳ) πνεῦμα νοερόν, ἅγιον, μονογενές, πολυμερές, λεπτόν, εὐκίνητον, τρανόν, ἀμόλυντον, σαφές, ἀπήμαντον, φιλάγαθον, ὀξύ, ἀκώλυτον, εὐεργετικόν, φιλάνθρωπον, βέβαιον, ἀσφαλές, ἀμέριμνον, παντοδύναμον, πανεπίσκοπον (cf. 14,25 sq.), quorum similia multa habet Paulus apostolus — quamquam ne

is quidem artis praecepta omnino non callet: quod cum recentium plerisque ignoretur[1]), non fugit Hieronymum et Augustinum viros tam sanctissimos quam eruditissimos - , veluti cum Galatis scribit (6,19 sqq.): φανερὰ δέ ἐστιν τὰ ἔργα τῆς σαρκός, ἅτινά ἐστιν πορνεία, ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, εἰδωλολατρεία, φαρμακεία, ἔχθραι, ἔρις, ζῆλος, θυμοί, ἐριθεῖαι, διχοστασίαι, αἱρέσεις, φθόνοι, μέθαι, κῶμοι καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, conf. ep. ad Rom. 1,29 sqq., quibus adde falsarium epistulae ad Timotheum datae prioris (c. 1,9 sq.), Barnabae ep. 20, Hermae pastoris mand. VIII 5. atque ne exemplum ex latinis auctoribus petitum desideretur, ipse Plinius iunior, delicatissimam ille quidem sectatus componendi mollitudinem, in epistola quadam (IV 20,2) *est*, inquit, *opus pulchrum, validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, figuratum, spatiosum etiam et cum magna tua laude diffusum*, sed nusquam alibi hunc in modum composuisse invenitur. his igitur missis cetera in genera distribuamus singulisque generibus exempla subiungamus, quorum me copiam scias non tam exhausturum esse quam significaturum.

a) Atque initium quidem, ut par est, faciamus ab ἀσυνδέτῳ δικώλῳ, quam latine bimembrem dissolutionem recte dicimus. cuius figurae apud latinos auctores multo frequentior usus est quam apud graecos. nam ex Demosthene quidem pauca exempla Voemelius in or. 3,31 attulit, quorum plura aliter explicanda esse Blassius in indice rhetorico supra dicto (p. 10) recte exposuit. posterioris aetatis haec mihi collegi exempla: Lesbonactis (declam. p. 34 Or.) πανοπλίαις προεδρίαις, Artemonis (apud Senecam *contr.* X 4,20) πλεῖ γεωργεῖ, Pauli (ep. ad Cor. I 13,4) ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ χρηστεύεται, Longi (p. 270,21 H.) εὑρόντες τὸν Δάφνιν ἔπαιον ἀπέδυον, (p. 317,25) πλῆθος ἐπιρρεῖ θεραπόντων θεραπαινῶν . . . , οὗτοι πάντες περιέβαλλον κατεφίλουν χαίροντες κλαίοντες, (p. 323,5) ὄχλος ἠθροίσθη ἀνδρῶν γυναικῶν, inscriptionis Ancyranae (ed. nunt. arch. Austr. vol. IX a. 1885 p. 124) Τρεβουλία Ἰατρικὴ ζῶσα φρονοῦσα κατεσκεύασα τὸ περίφραγμα ἑαυτῇ, devotionis (ed. inscr. gr. vet. mus. Brit. vol. IV 1 n. 918) εἰ δέ τις ἐπιχειρήσι θεῖναί τινα, μηδὲ γῆ καρποφορήσοιτο αὐτῷ μηδὲ

---

1) Confer tamen Blassii librum de novi foederis librorum arte grammatica nuperrime editum (Gottingae 1896) p. 289 sqq.

θάλασσα πλωτή, μηδὲ τέκνων ὄνησις μηδὲ βίου κράτησις, ἀλλὰ ὤλη πανώλη[1]), papyri musei Lugdunensis a Leemansio editae (p. 11) anni p. Chr. n. CLXIV ὃς (Σάραπις) διδοίη σοὶ μετὰ τῆς Ἴσιδος νίκην κράτος τῆς οἰκουμένης ἁπάσης. sed ingens latinorum praesto est copia exemplorum, quorum multa collegit Sigismundus Preuss in dissertatione Erlangensi a. 1882 de bimembris dissoluti apud scriptores romanos usu scripta, confer etiam Woelfflinum nunt. acad. Bav. a. 1890 vol. I p. 304 sq. diversitas ex ipso italicae linguae ingenio explicanda est. nam ut omittam exempla ab illis allata (*Iuppiter optimus maximus*, *patres conscripti*, *vi pugnando*), pervulgataque haec: *ultro citro*, *huc illuc*, *diem noctem*, *terra mari*, *dare accipere*, similia eiusmodi[2]), Osci praetorem censorem ἀσυνδέτως ponebant (lex osca tab. Bant. v. 28) ut consulum nomina Romani, Umbrorum augur verbis conceptis parram cornicem et picum picam nuncupabat (tab. Ig. VI A 1), eidemque in carmine binis continuatis vocabulis hostes exsecrabantur (VI B 59 sq.); Romanorum magistratus his verbis *velitis iubeatis* populum rogabant, commentariis augurum *Iove tonante fulgurante comitia populi habere nefas* esse editum erat (Cic. *de div.* II 18,42), dei his verbis *ei populo civitati metum formidinem oblivionem iniciatis* evocabantur (Macrob. *sat.* III 9,7 sq.), deos rustici veteres ut sint *volentes propitii* precabantur (Cato *de agri cultura* 139. 141), Mummius deos ut praedae *colligendae dissolvendae* sibi facultatem darent versibus rogabat (248 Buech.), homo quidam Aretinus hoc carmine defigebatur *uti vos* (dei) *eum interemates interficiates* (Herm. vol. IV p. 282), qua cum devotione Buechelerus (mus. Rhen. vol. XXXIII p. 5) haec Plauti verba (*merc.* v. 833) contulit: *interemptust interfectust*, vide etiam incantamenta magica ab Heimio collecta Fleckeiseni annalium suppl. vol. XIX (a. 1893) p. 544 sqq.[3]) atque, ut fere fit, durabant haec antiquissima in sollemnibus iuris formulis (ut *pactum conventum*, *locatum conductum*, *aequum bonum*,

---

1) Confer similes devotionum formulas CIG 2667. 2826 al. Lebas-Wadd. 509. Petersen - v. Luschan, Reisen in Lyk. u. Kar. n. 6.

2) Cf. etiam quae Draegerus collegit libri de syntaxi ling. lat. scripti vol. III p. 187 sq.

3) De duobus enuntiatis in vetere Italorum sermone dissolute positis Leo quaest. Plaut. p. 246 adn. 4 disseruit.

eiusmodi multa), conf. Kalbium dissertationis Erlangensis de iuris consultorum sermone a. 1887 scriptae p. 25 sq. id igitur asyndeti genus enumerativum dicimus sive copulativum, a quo quamvis sit diversum rhetoricum, tamen ipsius linguae, ut dixi, mos atque indoles ita valuerunt, ut utroque genere mixto multo plura exempla apud latinos scriptores inveniantur quam apud graecos. neque tamen eius usus omnibus temporibus aeque fuit celeber. plurima enim exempla cum apud veteres extant tum apud eos qui fuerunt inde a Traiani imperatoris aetate. atque de Catonis quidem libro qui de agri cultura editus est Keilii vide commentarios (p. 110 sq.), ex eiusdem orationibus haec mihi notaram: p. 37 Iord. *numquam praefectos per sociorum vestrorum oppida imposivi, qui eorum bona liberos diriperent*, 40 *decem hominibus vitam eripis indicta causa, iniudicatis incondemnatis*, cf. p. 43,8. 47,17; Caelii Antipatri fr. 48 Pet., Cornelii Sisennae fr. 46. 76, Claudii Quadrigarii fr. 94. deinde figura quasi antiqua ac plebeia apud urbanos quidem scriptores fere evanuit; Cicero enim, qui terna vocabula sescenties, bina copulat raro nec nisi affectus movendi causa[1]), Caesar et Sallustius[2]) rarissime, nec eis saepius Livius[3]); sed id quod dignum videtur memoria, ea aetate quo quis minus urbane locutus est, eo plura praebet exempla, vide quae ex belli Hispaniensis auctore, ex Galbae et Balbi epistolis ad Ciceronem missis, ex Nepote afferuntur a doctis[4]). inter aevi imperatorii auctores Curtius Seneca Plinius maior

1) Cf. or. *pro Plancio* 29 *de his tot viris talibus. pro Sestio* 88 *ad ferrum faces, ad cotidianam caedem incendia rapinas se contulit* (cf. 14. 21. 29. 90); vide etiam Hauschildium diss. Hal. vol. VI p. 298 sq.

2) Cf. *hist.* fr. libr. inc. 59 *in nuda intecta corpora.*

3) Cf. Drakenborgius in l. III 68,4. IV 3,12. in laudatione Murdiae, quae eiusdem fere est aetatis, antique ut in antiqua re dicitur (v. 15): *ut matrimonia obsequio probitate retineret.* Seneca pater et qui ab eo citantur rhetores, cum tricolis luxurientur, rarius habent dicola, his quidem locis (numeri sunt paginarum versuumque editionis Muellerianae): 41,4. 107,16. 256,15. 265,4. 270,14. 279,8. 331,11. 336,2. 3. 339,16. 371,1 (cf. cod. D). 379,7 382,12. 390,12. 395,13 (legis sunt verba). 395,15. 500,16. — ex poetis conf. Vergilium *aen.* I 600 *urbe domo* XII 811 *digna indigna,* eundem apud Donatum in vita p. 58 Reiff. *nocte diu;* carmen epigraphicum 55,7. 9 Buech.

4) Cf. Degenhartium de auctoris belli Hispaniensis elocutione p. 12. Hellmuthium de Galbae et Balbi elocutione p. 28. 59. Lupum de Nepotis elocutione p. 202. quibus addendus falsus Sallustius *ad Caes. de rep.* 1,9; 3,3; 3,4; 3,7; 4,2; 5,5; 10,5.

Quintilianus Tacitus Florus Fronto Appuleius[1]) pauca habent exempla, in his Seneca et Tacitus plura ceteris, sed omnium longe plurima Plinius iunior[2]) et Arnobius[3]), Minucius ipse non multa nec ea tamen coniecturis temptanda; recte igitur c. 11,3 traditur: *sibi mortuis extinctis, qui sicut nascimur et interimus, aeternitatem repromittere*, neque cum Ursino et Halmio *et* inserendum nec cum Usenero *mortuis* delendum nec cum Heumanno *morte extinctis* scribendum; nam consimilis locus est qui legitur c. 37,4: *totum corpus uri cremari sine ullis eiulatibus pertulerunt*, quamquam id quoque sunt qui mutandum esse censeant. neque quicquam corrigendum hoc loco (c. 17,2): *praecipue cum a feris beluis hoc differamus, quod illa prona in terramque vergentia nihil nata sunt prospicere nisi pabula*; Baehrensius enim *illa prona* neutra pluralia quo pertineant se nescire confessus verba tradita more suo foede interpolavit hunc in modum: *praecipue cum a <pecoribus et> feris beluis hoc differamus;*

1) De Curtio cf. Muetzellium in l. III 7,12; de Plinio Ioannem Muellerum p. 39 sqq. libri egregii de Plinii elocutione editi (Aeni ponte a. 1883), cuius similes utinam plures extarent, nam qui nunc conscribuntur, in minutiis fere versati gravissima quaeque silentio praetereunt; apud Quintilianum dicolon uno loco spondeo inveniri, non pluribus, qui locus est in sexti libri prooemio (12) lugubri illo ac queribundo: *tuum corpus* (filium dicit recenti morte amissum) *frigidum exsangue complexus animam recipere auramque communem haurire amplius potui?* nam duobus aliis locis (IX 2,3 bis) *et* omissum certis coniecturis repositum est, tertius locus (VI 2,15) corruptus est mendo. sed saepius dicolon invenitur in falsi Quintiliani declamationibus, conf. Ritterum de Quint. declam. p. 72. de Tacito cf. Boetticherum lexici Tac. p. LXXXIX, Nipperdeium in *ann.* l. II 81. Ioann. Muellerum, Beitr. z. Tac. I 6 sq. de Floro Egenium de Floro historico (diss. Monast. 1882) p. 26; Frontonis eiusque discipulorum haec exempla leguntur: p. 10. 48. 53. 55. 120. 155. 232 N., cf. etiam Woelfflinum nunt. acad. Bav. a. 1880 p. 427; Appuleius tribus, nisi fallor, locis: *met.* IV 8 *fortunae copiam, quam nostra vi virtute nacti sumus* VII 5 *universi omnes*, utrumque ἀρχαίως; *flor.* 19 p. 33 Kr. *os unguine odore delibutum* (ubi *unguinis* cod. φ).

2) Velut *ep.* IV 2,4 *nec dolor erat ille, sed ostentatio doloris. convenitur ad eum mira celebritate. cuncti detestantur oderunt, et quasi probent, quasi diligant, cursant frequentant;* I 5,1. 15. 10,6. 12,5. III 13,2. 19,5. IV 3,4. 11,7. 13,9, saepissime alibi, *pan.* 24. 26. 34 cet.

3) Cf. Reifferscheidium indicis p. 348. Tertullianus quoque dicola habet (cf. *apol.* 1 p. 114 Oehl. 2 p. 116, *ad nat.* I 7 p. 320. 9 p. 323. 10 p. 324), sed multo plura Arnobius; apud Cyprianum, qui tricola habet permulta, dicola non legi nisi hoc loco (*ep.* 66,4): *persecutio enim veniens te ad summam martyrii sublimitatem provexit, me autem proscriptionis onere depressit, cum publice legeretur: 'si quis tenet possidet de bonis Caecili Cypriani episcopi Christianorum'.* cf. etiam Woelfflinum de Cassio Felice p. 427 et Cledonium *artis* praef. (GLK V 9,14).

immo *feros* masculine dixit poetarum sermonem, ut solet, secutus, cum feris autem beluas eodem modo coniunxit quo Pacuvius fr. 303 R. *beluae ac ferae.* sed corrupta sunt quae leguntur c. 5,3 *itaque indignandum omnibus indolescendum est audere quosdam* e. q. s., quae Vahlenus elegantissima coniectura ita restituebat: *indignandum omnibus, < omnibus > indolescendum est,* mirum quoddam Minucii secutus orationis genus, quo ille saepius usus est ut c. 22,1: *considera denique sacra ipsa et ipsa mysteria;* atque eadem de causa quae in libro manuscripto omissa sunt verba c. 5,1 *utpote cum diligenter in utroque vivendi genere versatus repudiaris alterum, < alterum > comprobaris* et c. 24,2 *quorum ritus si perceneas, ridenda quam multa, < quam multa > etiam miseranda sunt,* horum prius ab editore principe, posterius ab Heumanno repositum est. quamquam illo de quo agitur loco Vahleni coniecturam non veram iudico esse, nam cum Octavius c. 16,6 ipsis illis Caecilii verbis allatis *nihil itaque indignandum vel dolendum* dicat, illo quoque loco *indignandum omnibus < vel,* h. e. *ut,* > *indolescendum est* scribendum esse potius crediderim.

b) Transeo ad τρίκωλα, quae *tergemina* latine appellat apud Gellium (XIII 25,22) Favorinus, *teriuga* vocabulo usus non satis antiquo auctor carminis de figuris v. 145 sqq. eorum rationem his maxime veterum testimoniis disseri invenio: Aristoteles artis rhetoricae III 12. 1413 b 3 sqq. asyndeti figuram aptam esse dicit veris certaminibus, improbari in eis operibus quae legendi recentandive causa componantur; affectui enim illam servire atque actioni, sed actione vera concitataque destitutam turpiter iacere. cuius figurae quae affert exempla, ea ternis constant membris: ἦλθον ἀπήντησα ἐδεόμην et ἦλθον διελέχθην ἱκέτευσα. Dionysius de comp. verb. 9, ubi de eis figuris exponit, quibus quasi complementis (παραπληρώμασι) assumptis oratio ornetur, de τρικώλῳ verba facit haec: τί δὲ δὴ τὸ παρ' Αἰσχίνῃ λεγόμενον τουτί "Ἐπὶ σαυτὸν καλεῖς, ἐπὶ τοὺς νόμους καλεῖς, ἐπὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς" τρίκωλον ἐν τοῖς πάνυ ἐπαινούμενον οὐχὶ τῆς αὐτῆς ἰδέας ἔχεται; ὃ γὰρ οἷόν τ' ἦν ἑνὶ κώλῳ περιληφθῆναι τόνδε τὸν τρόπον "Ἐπὶ σεαυτὸν καὶ τοὺς νόμους καὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς", τοῦτο εἰς τρία διῄρηται, τῆς αὐτῆς λέξεως οὐ τοῦ ἀναγκαίου ἕνεκα τοῦ δὲ ἡδίω ποιῆσαι τὴν ἁρμονίαν πολλάκις τεθείσης· καὶ πρόσεστι πάθος τῷ λόγῳ, cf. de Isocr. 20. Fa-

vorinus apud Gellium XIII 25,9 sqq. *haec repetitio instauratioque eiusdem rei sub alio nomine ornat orationem, eam modulatiorem aptioremque reddit, onerandi vel exprobrandi criminis causa exaggerationem aliquam speciosam facit*, cuius rei haec deinceps Ciceronis exempla affert *divinationis in Caecilium* 19: *Sicilia tota, si una voce loqueretur, haec diceret: quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus sedibus delubris fuit;* deinde hoc (11): *Siciliam provinciam C. Verres per triennium depopulatus esse, Siculorum civitates vastasse, domos exinanisse, fana spoliasse dicitur;* denique *Pisonianae* orationis exemplum addit, quo etiamsi durae auris homines offendi dicit — Calvum intellege Brutumque, a quibus Ciceronem propter nimium numerorum studium vituperatum esse constat, quorum litteras ad Ciceronem propter id ipsum missas etiam Quintilianus legebat —, tamen et venustatem numeris et vim sententiae additam esse censet; verba Ciceronis haec sunt (or. *in Pis.* 1): *vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit, hic eos quibus erat ignotus decepit fefellit induxit.* atque haec quidem figura quam sit cognata τῷ ὁμοιοτελεύτῳ, de quo supra disputavimus, librorum ad Herennium missorum loco quodam apparet, nam *commodissima et absolutissima orationis exornatio* esse dicitur (IV 19,26), *quae ex tribus constat membris, hoc pacto: 'et inimico proderas et amicum laedebas et tibi non consulebas', item: 'nec rei publicae consuluisti nec amicis profuisti nec inimicis restitisti';* idem Quintilianus docet l. IX 3,77; postquam enim Milonianae sententiam attulit hanc (2,5) *non modo ad salutem eius extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam,* sic ipse pergit: *ex quibus fere fiunt, non tamen ut semper utique ultimis consonent, quae* τρίκωλα *dicuntur: vicit* — haec Ciceronis verba sunt ex Cluentiana (6,15) petita — *pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia:* quam rationem multo esse antiquiorem, cum Demetrii libello qui de elocutione scriptus est edocemur (268) — peripateticam enim in eo cerni puram putam doctrinam certum comprobatumque est — tum Aristotelis testimonio: is enim ante ipsa verba supra (p. 30) commemorata hoc exemplum affert: οὗτός ἐστιν ὁ κλέψας ὑμῶν, οὗτός ἐστιν ὁ ἐξαπατήσας, οὗτος ὁ τὸ ἔσχατον προδοῦναι ἐπιχειρήσας.

Eius igitur figurae ratione exposita ad usum ipsum cognoscendum progressus si tantulam ex cunctis auctoribus copiam afferrem, non libellum ederem sed grandis atque immensi voluminis librum. neque id nunc me agere, sed Minucii causa omnia me haec memini disputare; itaque temporum ordinem secutus quae istius figurae fuerint quasi fata et historia, quibusve ea maxime probata fuerit viris dicendi laude gloriaque excellentibus, novo facto impetu cursim absolvam.

Atque ei quidem qui talia via ac ratione persecuturus sit, a sophistarum disciplina et arte progrediendum esse, ex qua veluti fonte quodam perenni omnes emanaverint rivuli, non latet eos, penes quos est harum rerum peritia atque iudicium. sed Gorgiae ceterisque λογοδαιδάλοις Heraclitum; quamvis gravissimum se praestiterit sophistarum censorem, quasi viam monstrasse alia scriptione evincam, nunc satis habebo quae apud eum leguntur tricola attulisse; sunt enim haec: fr. 12 B. ἀγέλαστα καὶ ἀκαλλώπιστα καὶ ἀμύριστα. 17 ἐποίησε ἑωυτοῦ σοφίην πολυμαθίην κακοτεχνίην. 58 τέμνοντες καίοντες πάντη βασανίζοντες. 104 νοῦσος ὑγίειαν ἐποίησε ἡδὺ καὶ ἀγαθόν, λιμὸς κόρον, κάματος ἀνάπαυσιν. Gorgias trimembrem dicendi formam non in asyndeto tantum, sed etiam in continua oratione saepissime affectavit, ut in Helenae paragraphis

prima:

1 ἄνδρα δὲ καὶ γυναῖκα
2 καὶ λόγον καὶ ἔργον,
3 καὶ πόλιν καὶ πρᾶγμα
χρὴ τὸ μὲν ἄξιον ἐπαίνου ἐπαίνῳ τιμᾶν,
τῷ δὲ ἀναξίῳ μῶμον ἐπιτιθέναι.

tertia:

I 1 ὅτι μὲν οὖν φύσει καὶ γένει
2 τὰ πρῶτα τῶν πρώτων
3 ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἡ γυνή,
II περὶ ἧς ὅδε ὁ λόγος,
III οὐκ ἄδηλον οὐδ' ὀλίγοις.

sexta:

I 1 ἢ γὰρ τύχης βουλήμασι
2 καὶ θεῶν βουλεύμασι

3 καὶ ἀνάγκης ψηφίσμασιν
II ἔπραξεν ἃ ἔπραξεν,
III 1 ἢ βίᾳ ἁρπασθεῖσα
2 ἢ λόγοις πεισθεῖσα
3 ἢ ἔρωτι ἁλοῦσα. —
I 1 εἰ μὲν οὖν διὰ τὸ πρῶτον,
2 ἄξιος αἰτιᾶσθαι ὁ αἰτιώμενος·
II 1 θεοῦ γὰρ προθυμίαν
2 ἀνθρωπίνῃ προμηθείᾳ
3 ἀδύνατον κωλύειν.
III 1 πέφυκε γὰρ οὐ τὸ κρεῖσσον ὑπὸ τοῦ ἥσσονος κωλύεσθαι,
2 ἀλλὰ τὸ ἧσσον ὑπὸ τοῦ κρείσσονος ἄρχεσθαι καὶ ἄγεσθαι,
3 καὶ τὸ μὲν κρεῖσσον ἡγεῖσθαι, τὸ δὲ ἧσσον ἕπεσθαι

et sic saepissime. atque terna vocabula ἀσυνδέτως posita in Helena quidem non inveniuntur, in Palamede his locis: 3 ὁ σῴζων πατρίδα τοκέας τὴν πᾶσαν Ἑλλάδα. 11 συνήλθομεν εἴπομεν ἠκούσαμεν. 19 προὐδίδουν ἐμαυτὸν τοκέας φίλους. 23 ἐλθέτω φανήτω μαρτυρησάτω. 25 ἀδυνάτοις ἀσυμφόροις αἰσχροῖς: unde ne ei qui Helenam Gorgiae non esse iudicant argumentum quo sententiam suam confirment sibi asciscant, Aristotelis verba supra allata secutus Helenam συγγραφικῶς, Palamedem ἀγωνιστικῶς conscriptum esse, hinc ab illa asyndeton alienum, huic aptum esse commoneo. Thucydidem saepe γοργιάζειν iam veteres observarunt, en bellum figurae exemplum a Dionysio epistulae ad Ammaeum alterius c. 17 hoc ut demonstraret allatum (I 70):

I 1 οἱ μὲν οὖν καὶ παρὰ δύναμιν τολμηταὶ
2 καὶ παρὰ γνώμην κινδυνευταὶ
3 καὶ ἐν τοῖς δεινοῖς εὐέλπιδες·
II 1 τὸ δ' ὑμέτερον τῆς τε δυνάμεως ἐνδεᾶ πρᾶξαι
2 τῆς τε γνώμης μηδὲ τοῖς βεβαίοις πιστεῦσαι
3 τῶν δὲ δεινῶν μηδέποτε οἴεσθαι ἀπολυθήσεσθαι.

Alcidamas apud Aristotelem art. rhet. II 23. 1398 b 10 sqq. sapientes ab omnibus coli ter trinis exemplis demonstrat, id quod non fugit Vahlenum egregiae de Alcidamante dissertationis p. 511, qui idem fieri notavit in eiusdem de sophistis libello (6 sq.). Platonem sophistarum saepe insistere per ludibrium vestigiis supra vidimus; hinc in Phaedro (233 E) Lysias sic elocutus est:

I 1 ἐκεῖνοι γὰρ καὶ ἀγαπήσουσιν
2 καὶ ἀκολουθήσουσιν
3 καὶ ἐπὶ τὰς θύρας ἥξουσιν·
II 1 καὶ μάλιστα ἡσθήσονται
2 καὶ οὐκ ἐλαχίστην χάριν εἴσονται
3 καὶ πολλὰ ἀγαθὰ αὐτοῖς εὔξονται,

hinc ibidem (240 A) Socrates in priore oratione παρῳδήσας dixit: ἄγαμον ἄπαιδ' ἄοικον, hinc in Convivio (197 DE) Agatho in fine orationis quasi furiis agitatus ingentem vociferatus magis quam locutus est asyndetorum numerum, quae binorum vel ternorum vel quaternorum sunt vocabulorum, ternorum haec: ἐν ἑορταῖς ἐν χοροῖς ἐν θυσίαις γιγνόμενος ἡγεμών et τρυφῆς ἁβρότητος χλιδῆς, χαρίτων ἱμέρου πόθου πατήρ, haec enim mihi videntur esse bis terna vocabula neque inde τρυφῆς et πόθου vocabulis deletis quattuor efficienda, nam quod τρυφή et πόθος idem significant atque ἁβρότης et ἵμερος, id consilio ita instituisse Platonem existimo, ut Agatho adderet σχήματος ἕνεκα ὀνόματα παραπληρωματικὰ οὐδὲν σημαίνοντα, graece enim talia magis exprimuntur quam latine. sed Plato et ipse ubi ἐμφατικῶς loquitur, hac figura modeste usus est, ut in Phaedro (247 D): καθορᾷ μὲν αὐτὴν δικαιοσύνην, καθορᾷ δὲ σωφροσύνην, καθορᾷ δὲ ἐπιστήμην, in eodem (246 D) τὸ δὲ θεῖον καλὸν σοφὸν ἀγαθὸν καὶ πᾶν ὅ τι τοιοῦτον, vide locos a Schanzio collectos in commentario quem edidit Euthyphronis dialogi (p. 43,7). — De Xenophonte vide Schachtii libellum, quo de eius studiis rhetoricis optime exposuit (Berolini 1890), p. 17 sq., nam Xenophon, quamquam huius generis saepe habet tricola εὔχροι τε καὶ εὔσαρκοι καὶ εὐρωστοί εἰσιν, οἱ δ' ἄπονοι πεφυσημένοι τε καὶ αἰσχροὶ καὶ ἀσθενεῖς ἀναφαίνονται (de Lac. rep. 5,8), asyndeton hoc uno loco (exp. III 1,19) videtur adhibere: οὐ νῦν ἐκεῖνοι παιόμενοι κεντούμενοι ὑβριζόμενοι οὐδὲ ἀποθανεῖν οἱ τλήμονες δύνανται. confer etiam Schulzii quaestiones gramm. ad Xenoph. pertinentes (progr. Berol. 1888), p. 20. Oratores attici ea figura multa cum modestia usi sunt, ac de Demosthene quidem quae praeclare, ut solet, disseruit auctor libelli περὶ ὕψους (19 sq.), eorum partem hic subieci: ἄκρως ἡ ἐπὶ ταὐτὸ σύνοδος τῶν σχημάτων εἴωθε κινεῖν, ὅταν δύο ἢ τρία οἷον κατὰ συμμορίαν ἀνακιρνάμενα ἀλλήλοις ἐρανίζῃ τὴν ἰσχὺν τὴν πειθὼ τὸ κάλλος, ὁποῖα καὶ τὰ εἰς τὸν Μειδίαν (72), ταῖς ἀναφοραῖς ὁμοῦ καὶ τῇ διατυ-

πώσει συναναπεπλεγμένα τὰ ἀσύνδετα. "πολλὰ γὰρ ἂν ποιήσειεν ὁ τύπτων, ὧν ὁ παθὼν ἔνια οὐδ' ἂν ἀπαγγεῖλαι δύναιτο ἑτέρῳ, τῷ σχήματι, τῷ βλέμματι τῇ φωνῇ". εἶθ' ἵνα μὴ ἐπὶ τῶν αὐτῶν ὁ λόγος ἰὼν στῇ — ἐν στάσει γὰρ τὸ ἠρεμοῦν, ἐν ἀταξίᾳ δὲ τὸ πάθος, ἐπεὶ φορὰ ψυχῆς καὶ συγκίνησίς ἐστιν — εὐθὺς ἐπ' ἄλλα μεθήλατο ἀσύνδετα καὶ ἐπαναφοράς· "τῷ σχήματι, τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ, ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταν ὡς ἐχθρός, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ὡς δοῦλον". οὐδὲν ἄλλο διὰ τούτων ὁ ῥήτωρ ἢ ὅπερ ὁ τύπτων ἐργάζεται, τὴν διάνοιαν τῶν δικαστῶν τῇ ἐπαλλήλῳ πλήττει φορᾷ κτλ. cetera Demosthenis exempla, quorum parvus est numerus, vide apud Rehdantzium et Blassium l. c. p. 10. Aeschinis hoc exemplum legitur in Ctesiphontea (94): εἰς γὰρ τοῦτο προήχθη Καλλίας μὲν ὁ Χαλκιδεὺς ὕβρεως καὶ πλεονεξίας, Δημοσθένης δὲ ὃν ἐπαινεῖ Κτησιφῶν δωροδοκίας, ὥστε τὰς ἐξ Ὠρεοῦ συντάξεις ... ὁρώντων φρονούντων βλεπόντων ἔλαθον ὑμῶν ὑφελόμενοι. Isocrates, quamquam Gorgiam secutus periodorum formam saepe struit trimembrem[1]), sed ut Gorgiae caesa minutissima ac quodam modo saltantia amplo spatio dilatet stabiliatque, asyndeta habet paucissima, cuius rei causam egregius quem paulo ante laudavi auctor graecus hanc iudicat esse (l. c.), Demosthenem asperam quandam sectatum esse gravitatem ac vigore plenam, Isocratem nitorem politissimum numerosque leniter et sedate fluentes. atque tria quidem verba dissolute posuisse videtur hoc uno loco: pan. 264 ἐπήνουν ἐζήλουν ἐμακάριζον. Theopompi vel Timaei verba apud Plutarchum in Alcibiadis vita (23) legi putant (cf. Nipperdeium in Nepotis Alcib. 11,2 sqq.): Ἀλκιβιάδῃ δὲ διὰ χρηστῶν ἰόντι καὶ πονηρῶν ὁμοίως οὐδὲν ἦν ἀμίμητον οὐδ' ἀνεπιτήδευτον, ἀλλ' ἐν Σπάρτῃ γυμναστικὸς εὐτελὴς σκυθρωπός, ἐν Ἰωνίᾳ χλιδανὸς ἐπιτερπὴς ῥᾴθυμος. Democharis, qui erat Demostheni sororis filius, cuius dicendi genus mollius remissiusque fuisse Cicero tradit (*de or.* II 23,95), haec verba a Rutilio Lupo afferuntur (I 2) latine conversa, quae qualia in graeco sermone fuisse videantur significabo: τίς γὰρ ἂν τάδε συνάπαντα πάσχοι, φόβον νόσον γῆρας, αἰσχύνην ἀπορίαν ἀνάγκην, ὧν καθ' ἓν ἕκαστον ἐξαρκεῖ πρὸς τὸ ἀποδειλιᾶν; ex Cleochare eiusdem aetatis oratore Myrleano idem auctor ibidem haec verba affert, quae et ipsa graeco sermoni reddam: ἀλλὰ τιμωρίαν ποιεῖσθαι τολμῶντα

1) Confer Blassii librum de Atticorum eloquentia, vol. II (ed. 1) p. 148 sqq.

πόλλ' ἅμα ἀπέτρεψεν· ἐξουσία συνήθεια καιρός, δόξα κίνδυνος εὐσέβεια· ἃ ἰδίας ἕκαστον πρὸς τὸ ἐπέχειν ὑπέβαλεν ἐννοίας. sed neque in Polybio, qui rhetorum lenocinia sprevit, magnisve illis eius aevi inscriptionibus, quas cum Polybii dicendi genere mire conspirare constat, exempla me legere memini[1]), neque in Antiochi Commagenorum regis monumento illo celeberrimo, quo Asianae dictionis tunc quam maxime vigentis character sufflatus ampullisque plenissimus optime mihi videtur repraesentari, istius quidem dicendi generis exemplum invenitur[2]). sed paulo plura apud eos leguntur, qui diatribas composuerunt, confer Teletis haec (p. 41 H): ἂν δεῦρο ἐπιχέηται ἐνίοτε πόλεμος ἀπορία ἀρρωστία, ἀναχώρει εἰς μονοσιτίαν, εἰς αὐτοδιακονίαν, εἰς τρίβωνα, ἔσχατον εἰς ᾅδου et quae hac de re Muellerus dissertationis Friburgensis de Teletis elocutione a. 1891 scriptae p. 70 sq. disputavit. — Ex diatriba declamationum genus exortum esse, cum Demetrii Phalerei aetate exstincta libera Atheniensium re publica eloquentia de plena fori luce in scholae umbracula secederet, idque scholasticum dicendi genus delectationi exercitationique, non veritati causarum certaminumque serviens fucatis et quasi meretriciis vestibus insignitum ex sophistarum fontibus defluxisse Cicero in Bruto graecos secutus auctores amplissima disputatione demonstravit (36 sqq.). Gorgiae igitur ineptas verborum facetias, numerorum fractam mollitudinem, orationis lascivientis pigmenta, studiis illa quidem Atticorum, qui fuerunt inde ab Alexandrinorum Pergamenorumve aetate, longa obruta oblivione, illi homines denuo revocarunt. quod declamationum studium et apud Graecos et apud Latinos Augustea maxime aetate viguisse Senecae patris scriptis rhetoricis edocemur. is gravissimos quosdam de tricolis habet locos, neque enim de graeca dis-

1) Quae leguntur in inscriptione Rosettana CIGr 4697 (anni a. Chr. 196) v. 31 ἀνθ' ὧν δεδώκασιν αὐτῷ οἱ θεοὶ ὑγίειαν νίκην κράτος καὶ τἄλλ' ἀγαθ[ὰ πάντα] verba fuerunt rite concepta, conf. Elaitarum decretum in honorem Attali III regis Pergamenorum (apud Fraenkelium n. 246 v. 31): (δεδόχθαι) εὔχεσθαι νῦν τε καὶ εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον διδόναι Ἀττάλωι Φιλομήτορι καὶ Εὐεργέτηι ὑγίειαν σωτηρίαν νίκην κράτος, ubi vide Fraenkelium (p. 158).

2) Periodum trimembrem Gorgiae Isocratisque arte factam saepius habet, ut 1 a 20 δι' ἃ καὶ κινδύνους μεγάλους παραδόξως διέφυγον καὶ πράξεων δυσελπίστων εὐμηχάνως ἐπεκράτησα καὶ βίου πολυετοῦς μακαριστῶς ἐπληρώθην, cf. IVa 13. IV b 1. sed de hoc monumento etiam ad Ciceronis artem rectius intellegendam gravissimo alibi pluribus disputabo.

serens facundia latini auctoris verba afferre dubitabo, quia latinos illius aevi declamatores adeo se applicasse ad graecos, ut plerique et graece et latine declamarent, plurimis ipsius Senecae constat testimoniis. eius igitur in controversiarum libris verba haec sunt: libri secundi (4,12): *hanc controversiam cum declamaret Maximus* (Fabium illum dicit Maximum, qui perversa declamationum genera in forum romanum intulit), *dixit tricolum tale, qualia sunt qui basilicam infectant*[1]). *dicebat autem a parte <patris>* : '*omnes aliquid ad vos inbecilli, alter alterius onera, detulimus: accusatur pater in ultimis annis, nepos in primis <adoptatur, in mediis abdicatur>* [2]) *filius*'; libri noni (2,27): *illud tetracolon* (Murredii declamatoris): '*serviebat forum cubiculo, praetor meretrici, carcer convivio, dies nocti*'. *novissima pars sine sensu dicta est, ut impleretur numerus; quem enim sensum habet: 'serviebat dies nocti'? hanc ideo sententiam rettuli, quia et in tricolis et in omnibus huius generis sententiis curamus ut numerus constet, non curamus an sensus. omnino autem genera corruptarum quoque sententiarum de industria pono quia facilius et quid imitandum et quid vitandum sit docemur exemplo.* atque in graecorum quidem declamatorum locis a Seneca allatis haec leguntur tricola: Artemonis (I 6,12) λοιδόρει νῦν τὸν ἀρχιπειρατὴν τὸν μιαιφόνον τὸν ἱερόσυλον, Dorionis (I 8,16) τίς ἐπιθυμία, τέκνον, ᾐμαγμένα πιεῖν, ᾐμαγμένα φαγεῖν; φοβοῦμαι, μή που παράταξις, μή που λιμός, μή που πάθῃ σ' ἑλῃ, Dioclis (II 3,23) εἰς τί γὰρ ἥρπαζες; εἰς τί γὰρ ἐφέρου; εἰς τί γὰρ ἐμαίνου; de latinis exemplis infra videbimus. hinc igitur Paulus apostolus, quem saepe ut in diatriba disputare declamatorisve vicibus fungi grammaticos non fugit, terna saepe coniungit vocabula, ut in epistola ad Corinthios missa priore (3,22): εἴτε Παῦλος εἴτ' Ἀπολλὼς εἴτε Κηφᾶς, εἴτε κόσμος εἴτε ζωὴ εἴτε θάνατος, εἴτε ἐνεστῶτα εἴτε μέλλοντα, πάντα ἡμεῖς ἡμεῖς δὲ χριστοῦ χριστὸς δὲ θεοῦ: habes dicolon utroque latere munitum tricolo; in eadem (13,13): νυνὶ δὲ μένει πίστις ἐλπὶς ἀγάπη, τὰ τρία ταῦτα, confer eiusdem epistolae 4,10. 6,11. 13,8. 11. 14,3; hinc in Neronianae aetatis inscriptione Boeotia (ed. e. g. ephem. phil. Berol. a. 1889 p. 107) ἔδωκεν ἐχαρίσατο ἀποκατέστησεν scriptum est. — Deinde ingens huius

1) *Insectant* codd., corr. O. Jahnius; de basilica vide libri IX praef. in fine.

2) Verba uncis inclusa Muellerus addidit, alia alii; de ipsis verbis dubitari potest, de sententia ex causa ipsa quae agitur constat.

figurae studium ortum est inde ab Hadriani imperatoris aetate. quod quemadmodum explicandum sit, ultro intelleget qui linguae graecae qualia fuerint per vices saeculorum fata bene noverit; nam recentiorum quos vulgo dicebant sophistarum plurimi cum auctorum Atticorum sectatores essent, tamen fuerunt et qui his spretis Augusteae aetatis declamatorum, de quibus supra vidimus, rationem secuti veterum sophistarum imitationem prae se ferrent et qui utroque dicendi genere commixto quasi medium inter utrosque locum obtinerent ut Herodes et Polemo: id enim plurimis certissimisque scriptorum testimoniis comprobatur, quae quamquam collecta digestaque habeo, hoc quidem loco brevitati studens praettermitto. ex ingenti autem quae succrevit tricolorum copia pauca seligam exempla. Lucianum constat et iuvenem et senem sophistarum vestigia legisse, reliquum vitae spatium gravissimum se praestitisse eorundem censorem castigatoremque; quo factum est, ut quae diversis vitae temporibus studiisque condidit opera magnopere inter se discrepent disciplina atque elocutione. is igitur cum his libris, quos in ipso vitae gloriaeque fastigio composuit, nitida illa verborum sententiarumque ornamenta omnino sprevisset reiecissetque, in ceteris dedita opera quaesivit et aucupatus est. quod cum de omnibus sermonis artificiis comprobari possit, in tricolis, de quibus agitur, me contineo. nam sophistam quendam, quem Pollucem esse recte statuunt, παρῳδήσας his verbis irrisit in rhetorum praeceptis (13) ἐπεὶ τούς γε ἄλλους τοσοῦτον ὑπερφωνοῦντα εὑρήσεις ὁπόσον ἡ σάλπιγξ τοὺς αὐλοὺς καὶ οἱ τέττιγες τὰς μελίττας καὶ οἱ χοροὶ τοὺς ἐνδιδόντας. en quae ipse in tyrannicida habet exempla: 8 πάντ' ἔχει μοι καλῶς, πάντα πέπρακται, πάντα κατώρθωται. ibidem ἐπ' ἔργῳ λαμπρῷ καὶ νεανικῷ καὶ γενναίῳ. ibidem ἰδέτω κολασθήτω παρακείμενον ἐχέτω τὸ ξίφος. 9 τιμᾶν ἔξεστι καὶ δικάζειν καὶ ἀντιλέγειν. τολμῶν κινδυνεύων, ἀνιῶν ἀναιρῶν, κολάζων δι' ἀλλήλων τιμωρούμενος (binorum verborum tricolon) 11 τὴν ἐλευθερίαν τὴν δημοκρατίαν τὴν τῶν δεινῶν ἀπαλλαγήν. ibidem ἓν μόνον ἐξέταζε, τοῦτο ἀπαίτει, τοῦτο πολυπραγμόνει, τίς τῶν πονηρῶν λείπεται ἢ τίς ἐλπὶς τοῦ φόβου ἢ τί ὑπόμνημα τῶν συμφορῶν. 15 φυλακῆς ἐκράτησα, δορυφόρους ἐνίκησα, τὸν τύραννον ἀφύλακτον ἄνοπλον γυμνὸν ἀπέδωκα. 17 οὐ δεσπότης, οὐ βαρύς, οὐκ ἀφόρητος ἦν; 20 ἰδὼν υἱὸν ὀλίγον ἐμπνέοντα ᾑμαγμένον ἐμπεπλησμένον τοῦ φόνου καὶ τὰ τραύματα συνεχῆ καὶ πολλὰ καὶ καίρια ἀνεβόησε

τοῦτο· τέκνον, ἀνῃρήμεθα πεφονεύμεθα τετυραννοκτονήμεθα. nec his pauciora in abdicato leguntur, quorum locos indicasse satis habebo: 4. 5. 8. 10 bis. 11. 16 saepius. 23. 28. conf. pseudologistae — quo libro cum senex ipse declamaret sophistam quendam impugnabat — c. 17 ἀπατεῶνα γόητα ἐπίορκον, ὄλεθρον, κύφωνα βάραθρον, quae sunt vocabula bis terna. Dio Chrysostomus, Atticorum oratorum navus imitator et intellegens, ab inepta figurarum captatione longe abhorruit, sed qui declamationem de fortuna habitam eius nomini furto supposuit, putida elegantia verba verbis demensus est: tricolon cum dicolo coniunxit hoc loco (2): ἤδη δέ τινα καὶ τῶν ἰδίων παθῶν τῇ τύχῃ προφέρουσιν, ἡ Μήδεια τὸν ἔρωτα ὁ Μίδας τὴν εὐχὴν ἡ Φαίδρα τὴν διαβολήν, ὁ Ἀλκμαίων ὅτι ἐπλανᾶτο ὁ Ὀρέστης ὅτι ἐμαίνετο. Herodes, qui Atticus et esse et nominari voluit, Isocratem potius quam oratores atticos secutus, trinis saepe membris orationem dinstinxit, sed ut asyndeta Isocratis more devitaret, conf. declamationis de re publica habitae unius paginae verba haec (or. att. vol. V p. 663 R.): οἱ γὰρ πλησίον οἰκοῦντες οὐκ ἄχθονται στασιαζόντων τῶν πλησίον, οἱ μὲν ἀσθενέστεροι ὅπως ἂν μὴ ἄρχωνται, οἱ δ' ὅμοιοι τὴν δύναμιν ὅπως ἂν κρείσσονες γένωνται, οἱ δ' ἰσχυροὶ ὅπως ἂν ῥᾳδιέστερον ἄρχωσιν. ibidem οὐ παῖδες καὶ γυναῖκες καὶ πατέρες γέροντες καὶ μητέρες θεωροὶ κατέστησαν ἀποθνησκόντων, οἱ μὲν πατέρων, αἱ δ' ἀνδρῶν, οἱ δὲ παίδων; ibidem καὶ τούτων τὸν αἴτιον πῶς οὐ χρὴ κακῶς δρᾶν δυναμένους γε; ἀμυνομένους μὲν ὧν ὑπῆρξε, τιμωροῦντας δὲ τοῖς ἀποθανοῦσιν, οἰκτείροντας δὲ τοὺς ἀποστερηθέντας; ibidem μήτε πολιτείαν εἶναι μήτε νόμον μήτε δίκας. idem in eiusdem epilogo: ὁ μὲν οὖν ἐμὸς λόγος

ἀμύνεσθαι μὲν τὸν ἀδικοῦντα κελεύει,
τιμωρεῖν δὲ τοῖς ἀποθανοῦσι,
χαρίζεσθαι δὲ τοῖς προσήκουσι,
δέχεσθαι δὲ τὴν τύχην,

συμμάχους τε τοῖς Ἕλλησιν εἶναι,
πολεμίους δὲ τοῖς βαρβάροις,

καὶ πιστεύειν μὲν τοῖς ὠφελοῦσι,
ὀρρωδεῖν δὲ τοὺς μὴ τοιούτους,

ἐχθροὺς δὲ νομίζειν τοὺς ἀδικοῦντας,
φίλους δὲ τοὺς ἐπαμύνοντας,

tetracolon et binarum sententiarum tricolon; paulo post:

ἀνέχεσθαι μὲν ἀδικουμένους,
ὠφελεῖν δὲ τοὺς ἀδικοῦντας,
φεύγειν δὲ τοὺς βουλομένους ὠφελεῖν,
ἀπιστεῖν δὲ τοῖς φίλοις,
πιστεύειν δὲ τοῖς ἐχθροῖς,
ὀρρωδεῖν δὲ τὰ πόρρω,
τὰ δὲ πλησίον ὑπερορᾶν,

tota sententia tribus membris constat, quorum primum trium, secundum et tertium binorum commatum est. Isaei Syri nobile fuisse fertur enuntiatum tribus conceptum sententiis hoc, quod propter id ipsum (τὰ τρία ταῦτα) a Philostrato in vita eius affertur (I 20,2): ἐλέγχω Πύθωνα πρόδεδωκότα τῷ χρήσαντι θεῷ, τῷ δήσαντι δήμῳ, τῷ ἀναζεύξαντι Φιλίππῳ. ὁ μὲν γὰρ οὐκ ἂν ἔχρησεν, εἰ μή τις ἦν· ὁ δὲ οὐκ ἂν ἔδησεν, εἰ μὴ τοιοῦτος ἦν· ὁ δὲ οὐκ ἂν ἀνέζευξεν, εἰ μή, δι' ὃν ἦλθεν, οὐχ εὗρεν. Dio Cassius ubi res gestas enarrat puro elegantique dicendi genere uti solet — quamquam ne in his quidem operis partibus auctorum quos sequitur arguta verborum artificia omnino ab eo reici Gerckius amplo quem nuper de Senecae vita scriptisque edidit volumine egregie demonstravit (p. 176) —, in magnis quas operi suo inseruit orationibus sui temporis morem secutus belle saepe quam graviter loqui maluit; veluti libro quinquagesimo tertio Augustum apud patres conscriptos haec dicentem induxit (5,3): καὶ οὐκ ἔστιν ὅ τι τῶν πάντων ἀπέτρεψέ με κινδυνεύουσιν ὑμῖν ἐπικουρῆσαι, οὐ πόνος οὐ φόβος, οὐκ ἐχθρῶν ἀπειλαὶ οὐ φίλων δεήσεις, οὐ τὸ πλῆθος συνεστηκότων οὐχ ἡ ἀπόνοια τῶν ἀντιτεταγμένων: tricolon habes binis verbis compositum. omnium autem maxime his similibusque lenociniis orationem quasi meretricem quandam pingebant amatoriarum scriptores fabularum, quae pro argumentorum lascivienti luxuria dicendi quoque mollitudine quasi fracta ac cevente legentium sensus intimos acri quadam dulcedine titillant et, ut Persii hanc ipsam libidinosam dicendi scabiem castigantis vocabulis honore praefandis utar, lumbos intrant[1]). horum scriptorum meo quidem iudicio

---

1) **Memoria dignus hic mihi videtur esse Hermogenis locus libri de ideis secundi (p. 368 Sp.)** ὁ δὲ περὶ ἡδονῆς οὗτος καὶ γλυκύτητος ἡμῖν ῥηθεὶς λόγος ὁ αὐτὸς ἂν εἴη δήπου τῷ περὶ ἁβρότητος καὶ περὶ τοῦ ὡραίου λεγομένου λόγου καὶ εἴ τι τοιουτότροπον. ταῦτα γὰρ οἶμαι πάντα καὶ τὰ τοιαῦτα ὀνόματι διαλλάττει μόνῳ, ἔστι δὲ τὰ

praestantissimus Longus ille est, quem paulo ante Alciphronem, h. e. saeculo p. Chr. secundo, vixisse certissimis nuper demonstratum est argumentis ab Reichio dissertationis Regimonti a. 1894 de Alciphronis Longique aetate editae p. 45 sqq. eius igitur sophistae — sophistarum enim disciplinam scriptores istos secutos esse praeclarissimo nobilissimoque Rohdii libro edocti sumus — si omnia afferre vellem quae habet tricola, complurium insumendum esset paginarum spatium, adeo ille huius figurae correptus studio exsultat; sed paucis ad verbum locis allatis ceterorum numeros Hercherianos infra subicere constitui. audi modo, o qui legis, molliculam ipsius praefationis dulcedinem suavitatemque: ἐν Λέσβῳ θηρῶν | ἐν ἄλσει Νυμφῶν | θέαμα εἶδον | κάλλιστον ὧν εἶδον, ecce tibi tetracolon figuris Gorgianis distinctum; quod sequitur tricolon est: εἰκόνα γραφὴν ἱστορίαν ἔρωτος, id altero continuatur hoc: καλὸν μὲν καὶ τὸ ἄλσος, πολύδενδρον ἀνθηρὸν κατάρρυτον. en pauca narrationis exempla. 243,4 ὁ δὲ πάντα αὐτῇ διηγεῖται, πῶς εὗρεν ἐκκείμενον, πῶς εἶδε τρεφόμενον, πῶς ἠδέσθη καταλιπεῖν ἀποθανούμενον. δόξαν δὴ κἀκείνῃ, τὰ μὲν συνεκτεθέντα κρύπτουσι, τὸ δὲ παιδίον αὐτῶν νομίζουσι, τῇ δὲ αἰγὶ τὴν τροφὴν ἐπιτρέπουσιν. 244,7 μίτρα διάχρυσος, ὑποδήματα ἐπίχρυσα, περισκελίδες χρυσαῖ. 249,7 τροφῆς ἠμέλει, νύκτωρ ἠγρύπνει, τῆς ἀγέλης κατεφρόνει. 249,13 ἀλγῶ καὶ ἕλκος οὐκ ἔστι μοι· λυποῦμαι καὶ οὐδὲν τῶν προβάτων ἀπόλωλέ μοι· κάομαι καὶ ἐν σκιᾷ τοσαύτῃ κάθημαι. 250,16 ἢ τυρὸν ἁπαλὸν ἢ στέφανον ἀνθηρὸν ἢ μῆλον ὡραῖον. ἐκόμισε δέ ποτε αὐτῇ καὶ μόσχον] ἀρτιγέννητον καὶ κισσύβιον διάχρυσον καὶ ὀρνίθων ὀρείων νεοττούς. 255,20 ἡδεῖα μὲν τεττίγων ἠχή, γλυκεῖα δὲ ὀπώρας ὀδμή, τερπνὴ δὲ ποιμνίων βληχή. 279,23 ἔθυσαν ἐκρέμασαν ἀπέδειραν. 280,28 ταύτης νεμούσης παιζούσης ᾀδούσης. 282,28 ἐφίλουν περιέβαλλον κατεκλίνοντο. 316,30 χλαμύδιον ἁλουργές, πόρπην χρυσήλατον, ξιφίδιον ἐλεφαντόκωπον[1]).

αὐτά. ὅταν γὰρ ἤτοι ἐρωτικόν τι ἐννόημα λέγωμεν ἢ καὶ τῶν αλλων τι τῶν ἰδίων γλυκύτητος, μεθοδεύσωμέν τε οὕτως καὶ ἑρμηνεύσωμεν δι' ἐπιθέτων καὶ ποιητικῶν ὀνομάτων, παρισῶμέν τε τοῖς σχήμασιν ἢ τοῖς κώλοις ἢ καὶ ἄλλῳ τινὶ κάλλους ἰδίῳ σχήματι ἐξαγγέλωμεν.

1) Cetera exempla his locis leguntur: 244,15 sqq. 243,2. 243,4 sqq. (duo ternorum membrorum enuntiata). 244,10. 15 (item). 250,16. 251,15. 252,17. 22. 255,7. 258,21. 262,5. 21. 263,23. 266,8. 10. 18. 271,24 sqq. 276,8. 281,21. 282,11. 285,11. 13 sqq. 23. 285,27 sqq. 287,18. 294,22. 297,19. 303,25. 304,13 sqq. 305,1 sqq. 9 sq. 306,27. 307,10 sqq. 310,5 sq. 311,27. 313,21. 314,22 sqq. (tria exempla continuata). 315,13 sq. 319,9. 19. 321,18. 324,23 sq. 326,11.

eundem in modum ceteri quoque eroticorum auctores locuti sunt[1]), sed quia Longus Minucii aetati suppar fuit, hoc loco subsistam, neque plurimis quae extant apud oratores Christianos sophistarum arte instructos, inter quos eminet Nazianzenus Gregorius, exemplis commemoratis fines huic opusculo positos transibo, sed ad latinos me convertam auctores.

Atque apud veteres quidem Latinos plurimas ternis vocabulis sollemni more conceptas fuisse formulas — ternarium enim numerum illi quoque ut sanctum faustumque colebant suspiciebantque, vide Buechelerum mus. Rhen. vol. XXXIII p. 46 — nota res est ac pervolgata; nam ut de plurimis pauca afferam exempla, is qui carmine deos evocabat ab iis petebat, ut quem populum relicturi essent ei *metum formidinem oblivionem* inicerent (Macrob. *sat.* III 9,8), disque iam evocatis dictator imperatorve *Ditem patrem Veiovem Manes*[2]), ut hostium urbem exercitumque *fuga formidine terrore* complerent, precabatur, confer simillima devotionis verba in Livii libro octavo (9,7); augur cum templum constitueret, prosa oratione effari incipiebat, deinde carmen ipsum quattuor versibus saturniis conceptum nuncupabat, denique prosa iterum oratione totum concludebat, in hac cascae verbis aetatis usus his *conregione conspicione cortumione* (apud Varronem *de ling. lat.* VII 8); Terentius *ad.* IV 1,13 *clientem amicum hospitem* nomina sollemnia coniunxit ut Cicero *de sen.* 32, *ep. ad fam.* V 8,5[3]). iam apud Catonem quae extant plurima ternorum vocabulorum exempla, ea ex prisco illo loquendi more an ex graeca explicem arte, qua Catonem instructum fuisse fragmenta ipsa

1) Achillis Talii exempla haec sunt: p. 37,13. 39,11. 25. 46,8. 50,27. 52,31. 53,32. 55,2. 61,28. 70,12 sq. 80,1. 82,9. 85,10. 90,12. 96,2. 9. 10 sq. 30. 99,19. 116,23. 120,12. 127,25. 131,16. 132,15. 139,16. 142,6. 145,33 (ter bina: τούτοις ἐντυχὼν πάντα ἐγενόμην ὁμοῦ· ἀνεφλεγομένην ὠχρίων, ἐθαύμαζον ἠπίστουν, ἔχαιρον ἠχθόμην) 172,28. 173,2. multo eo pauciora habet qui satis pure locutus est Heliodorus, nullum (ni fallor) aut paucissima qui omnium purissime Xenophon Ephesius.

2) *Ditis pater Veiovi' Manes* verbis saturnii versus pars dimidia, h. e. pristina ac genuina versus forma, efficitur, nam *Diesptr* et *patr* Praenestini et pronuntiabant et scribebant (cf. sylloges Schneiderianae n. 46 et 190), eundemque morem cum ceteris Italicis Romanos vetustissimis temporibus secutos esse constat.

3) Hinc etiam in senatus consultis graece conceptis asyndeta saepius inveniuntur, conf. praeter exempla a Viereckio collecta SC de Mytilenaeis aetatis Augusteae apud Cichorium de Roma et Mytilenis p. 13 χάριτα φιλίαν συμμαχίαν (et τόπον παροχήν τε καὶ ξένια).

clamant, incertus haereo, sed morem latinum cum peregrino ab eo coniunctum esse maxime crediderim, cum anaphorae figura tricoli vim aliquotiens eum augere videam. Catonis igitur loci hi sunt: *originum* fr. 33 Pet. *Libui, qui aquatum ut lignatum videntur ire, securim atque lorum ferunt, gelum crassum excidunt, eum loro conligatum auferunt*, 79 *compluriens eorum milites mercennarii inter se multi alteri alteros in castris occidere, compluriens multi simul ad hostes transfugere, compluriens in imperatorem impetum facere*, 97 *fluvium Naronem magnum pulcrum pisculentum.* 101 *exercitum suum pransum paratum cohortatum eduxit; orationum* fr. I 6 Iord. *laudant me maximis laudibus, tantum navium, tantum exercitum, tantum commeatum non opinatum esse quemquam hominem comparare potuisse*, IX p. 41 *quis hanc contumeliam, quis hoc imperium, quis hanc servitutem ferre potest?* quae ne Cicero quidem aliter dixisset, nisi quod propter numeros postrema verba sic invertisset: *quis hanc ferre potest servitutem.* ceterorum exemplorum locos significabo: *orat.* I 13. 27. VI 1. VIII 3. XII 2. XVIII 2. — Scipio Africanus minor in oratione quadam dixit *mala probra flagitia* (Gell. VII 11). — C. Gracchus lepide haec verba composuit: *pueritia tua adolescentiae tuae inhonestamentum fuit, adolescentia senectuti dedecoramentum, senectus rei publicae flagitium*; σοφῶς. — Sisenna in oratione historiae inserta *armis equis commeatibus* (fr. 113 Pet.). — Cicero quantopere hanc figuram sectatus sit, pueri sciunt; sed qua erat vir iudicii elegantia, ne nimio eius usu vis atque pondus debilitaretur, sollerter cavebat, cum gravissimis eam poneret locis, repudiaret his quibus affectus iacerent; neque ne nimiam artis ostentationem audientes suspicarentur improbarentque, acutissime idem plerumque providit; nobilissimum enim Milonianae orationis locum artis affectatione insignem (10) *est igitur haec, iudices, non scripta sed nata lex, quam non didicimus accepimus legimus, verum ex natura ipsa arripuimus hausimus expressimus* e. q. s., eum ille neque his verbis, cum causam ageret, ad iudices dixisse censendus est, neque ipse, cum iudicium maturuisset, satis probavit. — hunc in modum C. Antonius, M. Tullii in consulatu competitor, quasi in emblemate vermiculato tesserulas verba collocavit haec (apud Quintiliarum *inst. or.* IX 3,94): *sed neque accusatorem eum metuo, quod sum innocens; neque competitorem vereor, quod sum Antonius,*

neque consulem spero, quod est Cicero[1]). — Sed quod Cicero, in veris ille versatus magnisque actionibus, summa usus modestia praeclaroque iudicio recte instituit — vide Sturmii de amissa dicendi ratione disputationem Argentorati a. 1543 editam: is enim vir eloquentissimus quos de Cicerone condidit libros plurimos elegantissimosque, eos ego prae recentibus diligo atque amplector —, id scholasticorum natio quae post eius mortem mire pullulabat, pingui praedita ingenio et recto simplicique iudicio destituta, ingenti arripuit studio et dum ad fastidium usque adhibet pessum dedit. cuius rei quae apud Senecam patrem extant testimonia supra allata sunt ibidemque exempla quaedam graecorum eius aevi declamatorum adiecta: sed latinorum eo plura sunt, quo maior est sententiarum a Seneca ex his excerptarum copia. quorum paucis hic commemoratis ceterorum infra significabo locos. quidam igitur — neque enim declamatorum addi nomina attinet — de Vestali quae, cum de saxo deiecta vixisset, ad poenam repetebatur (*contr.* I 3,1): *damnata est*, inquit, *quia incesta erat, deiecta est quia damnata erat, repetenda est quia et incesta et damnata et deiecta est.* alius in alia causa (II 2,4): *vir, dum nimis amat uxorem, paene causa periculi fuit; uxor, dum nimis amat virum, paene causa luctus fuit*; *pater, dum nimis amat filiam, abdicat.* alius (II 3,5): *hoc si reo dicis, non curo*; *si iudici, videbo*; *si dementi, non intellego.* alius (VII 1,12): *idem timuimus, idem doluimus, idem flevimus; eundem patrem habuimus, eandem matrem, eandem novercam.* alius (X 4,2): *produc, agedum familiam semivivam tremulam debilem, caecam mancam famelicam*[2]). — Similia haud raro leguntur apud primi aevi impera-

1) De Sallustio conf. Constansium de serm. Sall. p. 250 A, de Nepote Lupum l. c. p. 202.

2) Adde hos locos (numeri sunt paginarum versuumque editionis Muellerianae) 1) sententiarum trimembrium: *contr.* 24,16. 25,7. 28,14. 30,17. 31,1. 31,18. 32,9. 33,12. 35,8. 36,6. 9. 40,6. 14. 44,14. 57,11. 58,11. 65,15. 72,16. 76,18. 83,17. 107,6. 40,9. 52,2. 53,14. 16. 20. 63,13. 65,14. 66,2. 78,9. 90,1. 91,4. 219,11. 28,17. 34,1. 23. 42,12. 44,1. 20. 45,16. 53,9. 13. 54,15. 17. 56,3. 16. 59,4. 22. 62,12. 65,7. 76,11. 77,14. 78,20. 82,6. 84,16. 95,21. 99,12. 18. 312,2. 13,1. 8. 17,2. 19,14. 21,5. 8. 33,7. 15. 41,6. 61,1. 62,8. 63,5. 64,9. 65,19. 66,9. 14. 84,13. 85,7. 91,4. 96,6. 97,7. 98,2. 9. 402,5. 03,5. 04,10. 15,2. 10. 16,11. 24,5. 27,15. 29,19. 30,11. 49,1. 52,2. 55,5. 60,10. 61,17. 67,3. 80,20. 81,11. 82,5. 15. 88,18. 96,1. 503,3. 15. 06,10. *suas.* 22,4. 31,15. 32,4. 35,10. 42,9. 43,10. 55,2. 14. 56,9. 61,5. 75,13. 17. 78,17. 79,7. — 2) vocabulorum singulorum dissolute positorum: *contr.* 35,6. 40,10 sqq. 64,13. 80,20. 140,4. 58,5. 216,16. 19,21. 23,10.

torii scriptores, qui ut Velleius Valerius Seneca filius Plinius minor rhetorum instructi fuerunt disciplina, sed quod idem apud Graecos factum esse vidimus, inde ab Hadriani imperatoris magnus accrevit exemplorum numerus. Hadriani ipsius haec verba sunt in allocutione Lambaesitana (CIL VIII 2532): *qui* (caespes) *modulo pari caesus et vehitur facile et tractatur et sine molestia struitur,* paulo post: *lapidibus grandibus gravibus inaequalibus, quos neque vehere neque attollere neque locare quis possit,* quem dicendi morem imitatus est is qui Hadriani epistolam finxit quae legitur in vita Saturnini tyranni (c. 8). sed ea aetate litterarum dux ac princeps Fronto et erat et habebatur. eum purum putum fuisse sophistam Graecorumque qui tunc vigebat loquendi ἀρχαισμόν in latinam transtulisse linguam olim Niebuhrius intellexerat, qui nunc de eo agunt obliti sunt; sed ea de re alio loco disputabo, nunc Frontonem eiusque discipulos ut eiusdem aetatis sophistas graecos tricola saepissime adhibuisse allatis potioribus quibusdem exemplis demonstrabo. confer enim haec p. 5 N. (M. Caesar) *valeat semper integro inlibato incolumi corpore.* 5 *babae Caesar, vigeo valeo exulto,* eodem modo 8. 20. 26. 56. 78 (M. Caesar). 85. 167; porro haec: 6 *quid enim ego possum iucundius, quid blandius, quid amantius,* eodemque modo 8. 26. 30. 41. 54. 55; haec: 17 (M. Caesar) *aliter plangit servus manumissus, aliter cliens laudat vocatus, aliter amicus legato honoratus* 27 (idem) *literae tanta benignitate scatentes, tanta adfectione abundantes, tanto amore lucentes.* 28 (idem) *virga in manus tibi tradenda erat, diadema circumponendum, tribunal ponendum.* 44 (idem) *quod tuis moribus indignum, negotio inutile, circumstantibus reprehensibile videtur esse.* 57 *patri placeto, matri dic salutem, me desiderato.* 60 (M. Caesar) *scribere nuntium de ipso Iuliano optatissimum, verba suavissima, consilia saluberrima.* 122 *amplior mihi et ornatior videbar daduchis Eleusinae faces gestantibus et regibus sceptra tenentibus et XV viris libros adeuntibus.* 208 *equi lubrico instabiles, manus frigore inritae, arcus imbribus enerves.* 226 *Numa epulorum*

31,5. 36,17. 42,13. 44,11. 60,1. 83,3. 85,10. 340,23. 84,6. 413,18. 95,19. 97,2. 6. 17. 500,23. 03,11. *suas.* 57,20. — 3) argumentorum divisiones tripartitae: *contr.* 39,1 sqq. 5 sqq. 47,20. 62,7. 87,21. 118,5. 66,4. 78,9. 377,20. 462,11. *suas.* 538,7. 48,5. 10 sqq. 63,8.

dictator, cenarum libator, feriarum promulgator; maxime haec: 26 *Antoninum ut solem ut diem, ut vitam ut spiritum amo diligo amari me ab eo sentio* (tetracolon cum tricolo coniunctum). 29 (M. Caesar) *vale, decus eloquentiae romanae, amicorum gloria,* μέγα πρᾶγμα; *homo iucundissime, consul amplissime, magister dulcissime* (bis trina). 58 *ut omnes deinde paulatim vitia insita exuerent, virtutem sectarentur, probitatem condiscerent; pudore impudentiam, obsequio contumeliam, benignitate malivolentiam commutarent* (bis trina). 197 *quis segeti torridae messem procrastinat? nec non quis vindemiam maturam ac destillantem propellit? nec non quis tempus prorogat pomis mitibus aut floribus marcescentibus aut facibus ardentibus?* (tricolon, cuius tertium membrum et ipsum tripartitum est). 114 *Zeno ad docendum planissimus, Socrates ad coarguendum captiosissimus, Diogenes ad exprobrandum promptissimus; Heraclitus involvere omnia, Pythagora mirificus clandestinis signis sancire omnia, Clitomachus anceps in dubium vocare omnia. quidnam igitur agerent isti ipsi sapientissimi veri, si de suo quisque more atque instituto deducerentur: Socrates ne coargueret, Zeno ne disceptaret, Diogenes ne increparet; nequid Pythagora sanciret, nequid Heraclitus absconderet, nequid Clitomachus ambigeret?* (quattuor tricola, bina iuxta composita). atque haec quidem exempla tantum non omnia ex epistolis sumpta esse scias, quibus Ciceronis epistolarem imitabatur characterem: quanto is plura in orationibus posuisse censendus est. atque magni eum talia aestimasse his mihi videtur demonstrari locis: nam praeceptis ad M. Antoninum de eloquentia datis *ne frustra neve temere verborum strues acerventur, sed ut certo ac sollerti termino uniantur* scribit (p. 139) eidemque suadet *ut cola synonymorum ratione convertat.* — Frontoni fere aequalis vel non multo aetate illo inferior Minucius Felix erat, quem propter ista nunc disputo: tricolis enim ille eum in modum abundat, ut ne Seilerum quidem fugerit, qui dissertatione Augustae Vindeliciorum a. 1893 edita volgaria quaedam de sermone Minuciano conscripsit. exemplorum autem cum tantus extet numerus, ut quaelibet eis referta sit pagina, paucos satis habebo locos attulisse. *homo,* inquit (5,8), *et animal omne quod nascitur inspiratur attollitur-, elementorum ut voluntaria concretio est in quae rursum homo et animal omne dividitur solvitur dissipatur-, ita in fontem refluunt et in semet omnia revolvuntur-, nullo artifice nec iudice nec*

auctore e. q. s.; idem alio loco (16,5) *et quoniam meus frater erupit aegre se ferre stomachari indignari dolere, inlitteratos pauperes inperitos de rebus caelestibus disputare* e. q. s. (tetracolon cum tricolo coniunctum). 23,3 *hic eorum paria composuit, sauciavit Venerem, Martem vinxit vulneravit fugavit* (tricolon, cuius tertium colon et ipsum est tripartitum). 25,9 *neque enim eos adversum suos homines vel Mars Thracius vel Iuppiter Creticus vel Iuno nunc Argiva nunc Samia nunc Poena, vel Diana Taurica vel Mater Idaea vel Aegyptia illa non numina sed portenta iuverunt* (bis terna, priorisque triadis tertium membrum tripartitum). 22,5 *Vulcanus claudus deus et debilis-, Apollo tot aetatibus levis-, Aesculapius bene barbatus, etsi semper adulescentis Apollinis filius-; Neptunus glaucis oculis, Minerva caesiis, bubulis Iuno-; pedibus Mercurius alatis-, Pan ungulatis-, Saturnus compeditis.* itaque in eis quae scripsit c. 5,2 *nullum negotium est patefacere, omnia in rebus humanis dubia incerta suspensa-, magisque omnia verisimilia quam vera* falso multi alterum *omnia* delent, immo ipsa vocabuli repetitione auctor a tricolo cetera seiungenda esse indicavit; neque rectius alterum hunc locum (7,3) mutant: *testis mater Idaea . . ., testes equestrium fratrum statuae . . ., testis ludorum iteratio; et Deciorum devotio rata testis est, testis et Curtius*: quinque attulit exempla, sed verbis artificiose collocatis eo utitur ordine, ut a tribus prioribus seiungeret duo postrema. — eodem modo ceteri eius aetatis scriptores, qui quidem stili elegantiam affectarent, locuti sunt, quorum pauca afferam exempla: Appulei *floridorum* 6: *Indi . . . procul a nobis ad orientem siti . . super Aegyptios eruditos et Iudaeos superstitiosos et Nabataeos mercatores,* | *et fluxos vestium Arsacidas et frugum pauperes Ityraeos et odorum divites Arabas:* || *eorum igitur Indorum non aeque miror eboris strues et piperis messes et cinnami merces,* | *et ferri temperacula et argenti metalla et auri fluenta* (duo tricolorum paria) 18 *in auditorio hoc genus spectari debet non pavimenti marmoratio nec proscaenii contabulatio nec scaenae columnatio,* | *sed nec culminum eminentia nec lacunarium refulgentia nec sedilium circumferentia* (item). ibidem: *temporum ambitus, ventorum flatus, stellarum meatus,* | *tonitruum sonora miracula, siderum obliqua curricula, solis annua reverticula* (item). Tertulliani libri *de pudicitia* scripti initium: *pudicitia flos morum, honor corporum, decor sexuum-,* | *integritas sanguinis fides generis-,* | *fundamentum sanc-*

titatis- praeiudicium omnis bonae mentis- || *quamquam rara nec facile perfecta vixque perpetua-,* | *tamen aliquatenus in saeculo morabitur* |, *si natura praestruxerit-, si disciplina persuaserit-, si censura compresserit-,* | *siquidem omne animi bonum aut nascitur aut eruditur aut cogitur-.* || *sed ut mala magis vincunt, quod ultimorum temporum ratio est,* | *bona iam nec nasci licet, ita corrupta sunt semina-, nec erudiri, ita deserta sunt studia-, nec cogi, ita exarmata sunt iura-* (tricolum cum tetracolo coniunctum bipartito, sequuntur tricola quattuor; periodus ut in prooemio insigni expolita est arte); Cypriani *ad Demetrianum* c. 9 *delicta mendaciorum libidinum fraudium,* | *crudelitatis impietatis furoris* (duo tricola); Arnobii exempla asyndetorum trinorum Reifferscheidius collegit indicis p. 347. duravit usus per saecula insequentia, ne mediae quidem aetatis barbarie interiit, vide exempla apud Breslavium enchiridii de syngrapharum ratione compositi vol. I p. 586.

c) De tetracolis brevius agam; nam quia singuli auctores qualem secuti sint dicendi rationem disciplinamque supra exposui, hoc loco exempla quaedam selecta afferam. hoc autem moneo, tetracoli rationem eam fuisse, ut, cum quaternis constaret membris, eorum bina et priora et posteriora sive significationis sive soni sive utriusque vinculis plerumque coniugarentur. Gorgias Hel. 4 οἱ μὲν πλούτου <νέου addidi> μεγέθη, οἱ δὲ εὐγενείας παλαιᾶς εὐδοξίαν, οἱ δὲ ἀλκῆς οἰκείας εὐεξίαν, οἱ δὲ σοφίας ἐπικτήτου δύναμιν ἔσχον. Pal. 17 πᾶσι γὰρ ὅ γε προδότης πολέμιος, τῷ νόμῳ τῇ δίκῃ, τοῖς θεοῖς τῷ πλήθει τῶν ἀνθρώπων. 27 πολλὰ καὶ μεγάλα, καὶ παλαιὰ καὶ νέα. 37 δεινὸν ἄθεον, ἄδικον ἄνομον ἔργον. epitaph. fr. 2 τὸ δέον ἐν τῷ δέοντι καὶ λέγειν καὶ σιγᾶν, καὶ ποιεῖν καὶ ἐᾶν. ib. ὑβρισταὶ εἰς τοὺς ὑβριστὰς κόσμιοι εἰς τοὺς κοσμίους, ἄφοβοι εἰς τοὺς ἀφόβους δεινοὶ ἐν τοῖς δεινοῖς. ib. οὐκ ἄπειροι οὔτε ἐμφύτου ἄρεος οὔτε νομίμων ἐρώτων, οὔτε ἐνοπλίου ἔριδος οὔτε φιλοκάλου εἰρήνης· σεμνοὶ μὲν πρὸς τοὺς θεοὺς τῷ δικαίῳ ὅσιοι δὲ πρὸς τοὺς τοκέας τῇ θεραπείᾳ, δίκαιοι μὲν πρὸς τοὺς ἀστοὺς τῷ ἴσῳ εὐσεβεῖς δὲ πρὸς τοὺς φίλους τῇ πίστει. Antipho de chor. 4 νόμῳ εἴργεσθαι πόλεως ἱερῶν, ἀγώνων θυσιῶν. 39 διελέγοντο ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἐν τῇ ἐμῇ οἰκίᾳ ἐν τῇ σφετέρᾳ αὐτῶν, (καὶ ἑτέρωθι πανταχοῦ). adv. noverc. 22 ἀθέμιτα καὶ ἀνόσια, καὶ ἀτέλεστα καὶ ἀνήκουστα. Thucydides VII 71 ἦν |πάντα ὁμοῦ ἀκοῦσαι· ὀλοφυρμὸς

βοή, νικῶντες κρατούμενοι[1]). Hippocrates falsus περὶ φυσῶν VI p. 90 L· οἱ δὲ νοσέοντες ἀπαλλάσσονται τῶν μεγίστων κακῶν διὰ τὴν τέχνην· νούσων πόνων, λύπης θανάτου[2]). Agatho Platonis Conv. 197 D de Amore: θεατὸς σοφοῖς ἀγαστὸς θεοῖς, ζηλωτὸς ἀμοίροις κτητὸς εὐμοίροις, ibidem de eodem: ἐν πόνῳ ἐν φόβῳ, ἐν πόθῳ ἐν λόγῳ[3]) κυβερνήτης ἐπιβάτης παραστάτης τε καὶ σωτὴρ ἄριστος. Socrates Platonis Phaedr. 239 A πατρὸς γὰρ καὶ μητρός, καὶ[4]) ξυγγενῶν καὶ φίλων στέρεσθαι ἂν αὐτὸν δέξαιτο. Plato Prot. 319 D συμβουλεύσει περὶ τούτων ὁμοίως μὲν τέκτων, ὁμοίως δὲ χαλκεὺς σκυτοτόμος, ἔμπορος ναύκληρος· πλούσιος πένης, γενναῖος ἀγεννής (binorum nominum tetracolon). Xenopho mem. I 4,13 ἢ λιμὸν ἢ δίψος, ἢ ψύχη ἢ θάλπη[5]). hist. gr. IV 3,19 = Ag. 2,12 καὶ συμβαλόντες τὰς ἀσπίδας ἐωθοῦντο ἐμάχοντο, ἀπέκτεινον ἀπέθνῃσκον. Xenopho falsus cyn. 6,16 πολεμικῶς ἐπιφερόμεναι φιλονίκως παραθέουσαι, συντρέχουσαι φιλοπόνως συνιστάμεναι ταχύ[6]). Demosthenes raro' ut or. 8,69 ὅστις μὲν γὰρ παριδὼν ἃ συνοίσει τῇ πόλει κρίνει δημεύει δίδωσιν κατηγορεῖ[7]), 9,73 τοὺς ἄλλους Ἕλληνας συγκαλεῖν συνάγειν, διδάσκειν νουθετεῖν[8]). Isocrates qui quaternorum membrorum periodos saepe struit, asyndeta Blassio teste (l. c. p. 167) his tribus habet locis: symm. 96 ἀδικίας ῥᾳθυμίας ἀνομίας φιλαργυρίας. ant. 147 ὑπισχνουμένους ἐρίζοντας λοιδορουμένους οὐδὲν ἀπολείποντας κακῶν. 321 ἱκετεύοντας δεομένους, τοὺς παῖδας τοὺς φίλους ἀναβιβαζόμενος. Teles p. 39 H πολιτεύεται στρατηγεῖ, χορηγεῖ ἀγωνοθετεῖ 41 ἀναχωρεῖ εἰς μονοσιτίαν, εἰς αὐτοδιακονίαν, εἰς τρίβωνα, ἔσχατον εἰς ᾅδου[9]). Antiochus Commagenorum rex IVa 18 μηδένα δὲ ὅσιον ἔστω μήτε βασιλεῖ μήτε δυνάστει (sic), μήτε ἱερεῖ μήτε ἄρχοντι κτλ. Senecae

---

1) Gorgiae imitationem hoc loco apparere aliis indiciis usus Scheelius demonstravit (de Gorgianae disciplinae vestigiis, diss. Rostoch. a. 1890 p. 41 sq.)

2) Cf. Ilbergrium stud. Pseudippocr. p. 27.

3) Non recte neque hoc vocabulum neque id quod sequitur ἐπιβάτης (classiarius; παραστάτης quasi ephebus pareutactos) vulgo mutant; κυβερνᾶν λόγον metaphora trita, cf maxime Plinii *ep.* l. IX 26,4 sqq.

4) καὶ om. cod. Bodl., fort. recte, cf. tamen p. 58,1 et Frontonis exempla p. 58.

5) Cf. Schachtium l. c. p. 34.

6) Cf. Radermacherum l. c. p. 603.

7) κατηγορεῖ falso delebant Dobraeus et Westermannus.

8) Quattuor praeter haec exempla vide in indice rhetorico l. c. p. 11, quibus addendus hic locus (or. 23,185) πολίτης εὐεργέτης, στέφανοι δωρεαί.

9) Cf. Muellerum l. c. p. 71.

rhetoris de tetracolorum studio in declamationibus obvio testimonium supra (p. 42) allatum est, conf. Artemonis verba (*suas.* 1,11): οὐδὲ Εὐφράτης τοῦτ' ἔστιν οὐδὲ 'Ινδός, ἀλλ' εἴτε γῆς τέρμα εἴτε φύσεως ὅρος, εἴτε πρεσβύτατον στοιχεῖον εἴτε γένεσις θεῶν, ἱερώτερόν ἐστιν ἢ κατὰ ναῦς ὕδωρ. Stratonicensium inscriptio saeculi p. Chr. I (CIG 2715) δι' ἃς (ἀρετὰς) καὶ τὸ σύνπαν πλῆθος θύει τε καὶ ἐπιθυμιᾷ, καὶ εὔχεται καὶ συνχαριστεῖ. auctor libelli de sublimitate c. 10,5 καθ' ὑπεναντιώσεις ἅμα ψύχεται κάεται, ἀλογιστεῖ φρονεῖ. Lucianus tyrann. 10 οὐκ ἐβουλήθην; οὐκ ἀνῆλθον; οὐκ ἐφόνευσα; οὐκ ἠλευθέρωσα; | μή τις ἐπιτάττει; μή τις κελεύει; μή τις ἀπειλεῖ δεσπότης; μή τις με τῶν κακούργων διέφυγεν; 14 ἐβουλόμην ἠθέλησα, ἐπεχείρησα ἐπειράθην. 16 τύραννος χαλεπώτερος καὶ δεσπότης ἀπαραίτητος, καὶ κολαστὴς ὠμότερος καὶ ὑβριστὴς βιαιότερος. 17 ταῦτ' ἔστι πατέρων τὰ τραύματα, ταῦτα ξίφη δικαίων τυραννοκτόνων· οὗτος θάνατος ἄξιος ὠμῶν τυράννων, αὕτη τιμωρία πρέπουσα τοσούτοις ἀδικήμασιν, cf. abdic. 3. 10. 14. 15. 16. Dio Chrysostomus personatus de fort. or. 2,10 αὕτη (ἡ Τύχη) σώζει καὶ τὸν νοσοῦντα ἐν τῷ τέλει καὶ τὸν νηχόμενον ἐν τῇ θαλάσσῃ, καὶ τὸν 'Αγαμέμνονα ἐπὶ τῶν χιλίων νεῶν καὶ τὸν 'Οδυσσέα ἐπὶ τῆς σχεδίας φερόμενον. ib. 20 ἀπέκτεινε δὲ (ὁ 'Αλέξανδρος) καὶ Κλεῖτον τὸν σοφὸν παὶ Φιλώταν τὸν καλόν, καὶ τὸν γέροντα Παρμενίωνα καὶ τὸν διδάσκαλον Καλλισθένην cf. 22. 23. Cassius Dio (in Agrippae et Maecenatis orationibus) LII 9,5 ἐξ ὧν ἥ τε γερουσία προεβούλευε καὶ ὁ δῆμος ἐπεκύρου, τό τε στρατευόμενον προεθυμεῖτο καὶ τὸ στρατηγοῦν ἐφιλοτιμεῖτο. 10,2 τὰ δυσχερέστατα καὶ ἀκούειν καὶ ὁρᾶν, καὶ ποιεῖν καὶ πάσχειν. ib. 3 μηδέ σε ἐξαπατήσῃ μήτε τὸ μέγεθος τῆς ἐξουσίας μήθ' ἡ περιουσία τῶν κτημάτων, μὴ τὸ στῖφος τῶν σωματοφυλάκων μὴ ὁ ὄχλος τῶν θεραπευόντων. 11,3 καὶ καλὸν καὶ σεμνόν, καὶ εὐκλεὲς καὶ ἀσφαλές ἐστιν. 13,1 ἀπόδος τῷ δήμῳ καὶ τὰ ὅπλα καὶ τὰ ἔθνη, καὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ χρήματα. 15,4 οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα τά τε πραττόμενα ὀρθῶς διοικηθείη, μήτε ἐς τὸ κοινὸν ἀναφερόμενα μήτε ἐν τῷ φανερῷ βουλευόμενα, μήτε τοῖς παρακελευστοῖς ἐπιτρεπόμενα μήτε ἐκ φιλοτιμίας κινδυνευόμενα. 18,2 οὔτ' ἂν τὰ ὅπλα ἀντήρω οὔτ' ἂν τὰ στρατεύματα συνελέξω, οὔτ' ἂν 'Αντωνίῳ καὶ Λεπίδῳ συνέθου οὔτ' ἂν αὐτοὺς ἐκείνους ἠμύνω. 39,9 ὅταν σε ὁρῶσιν κόσμιον εὐβίοτον, εὐπόλεμον εἰρηναῖον ὄντα. Longus 263,21 ἐσκίρτων, ἐσύριττον, ᾖδον, τοῖς τράγοις καὶ τοῖς προβάτοις συνεπάλαιον. 303,23 ἀπελούσαντο,

ἐνέφαγον, ἔπιον, περιήεσαν ζητοῦντες ὀπώραν ἀκμάζουσαν. cf. Achilles Tatius 44,13. 53,13. 65,6. 87,8. 94,28. 113,13. 120,15. 130,3. 151,17. 192,3.

In vetusto legum romanarum sermone quaterna saepe vocabula rudi arte copulari notissimum est; nam *attribuerunt attribuerint, concesserunt concesserint* talia, quam non sint graeca arte facta maxime intelleges, si eadem graece conversa legeris in senatus consultis ad graecas nationes missis: προσεμέρισαν προσμεριοῦσιν, συνεχώρησαν συγχωρήσουσιν, similia quae Viereckius collegit. peregrina huius figurae ars non invenitur ante Cornelium Scipionem Africanum minorem, qui tetracolo usus est in gradatione his verbis quae Isidorus tradidit (*or.* II 21,4): *ex innocentia nascitur dignitas*, *ex dignitate honor*, *ex honore imperium*, *ex imperio libertas*, et: *vi atque ingratis coactus cum illo sponsionem feci*, *facta sponsione ad iudicem adduxi*, *adductum primo coetu damnavi*, *damnatum ex voluntate dimisi.* laudavit id dicendi genus auctor rhetoricorum ad Herennium hoc exemplo (IV 20,28): *perditissima ratio est amorem petere pudorem fugere*, *diligere formam neglegere famam* (cf. IV 14,20 p. 309,1 M.). eo Cicero haud raro usus est, sed periodis quaternorum membrorum arte nimis conspicua fabricatis in eis quas iuvenis habuit orationibus, singulorum vocabulorum asyndetis ubique. nam in ea oratione, qua Sex. Roscii causam egit, scholastica eruditione a Gorgia et Isocrate profecta, a declamatoribus Asianis aucta quasi lasciviens atque exsultans, haec quae postea paene erubuit non dubitavit effundere: (32) *patrem meum cum proscriptus non esset iugulastis, occisum in proscriptorum numerum rettulistis; me domo mea per vim expulistis, patrimonium meum possidetis*, habes tetracolon putida factum elegantia, primum membrum et secundum syllabarum est quinarum denarum, tertium et quartum undenarum, totumque figuris delicatissimis pictum et rhythmis molliculis tenellisque conclusum. in eadem magnis ille audientium clamoribus haec declamavit (72): *quid est tam commune quam spiritus vivis terra mortuis*, *mare fluctuantibus litus eiectis?* neque haec non arte parum pudica concinnata sunt (62): *non temere creditur neque levi coniectura res panditur, neque testis incertus auditur neque accusatoris ingenio res iudicatur.* adde haec: 76 *pretio gratia, spe promissis induxit aliquem*, 118 *ubi multa avare, multa audacter, multa improbe,*

multa perfidiose facta videbitis, ibidem: *par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia*, 149 *adsiduitate consilio auctoritate diligentia.* ex ceteris orationibus pauca afferam, quibus ratio qua usus sit illustretur. *in Verrem* IV 116 *quae tum in urbe capta commissa non sunt neque odio hostili neque licentia militari, neque more belli neque iure victoriae.* 120 *aedificiis omnibus, publicis privatis, sacris profanis.* idem *pro Sestio* 1 *qui omnia divina et humana violarint vexarint, perturbarint everterint*, 10 *recito memoriam perfuncti periculi, praedicationem amplissimi beneficii; vocem officii praesentis, testimonium praeteriti temporis*, 66 *haec gemebant boni, sperabant improbi; agebat trib. pl., consules adiuvabant.* idem *pro Plancio* 9 *non est enim consilium in vulgo non ratio, non discrimen non diligentia*, ubi 'diligentiam' vocis proprietate servata dicit, comitiis enim sine discrimine indignos legi, neglegi dignos exponit, ut Horatius *carm.* II 4,18 *crede non illam tibi de scelesta plebe dilectam.* idem *or. Philipp.* II 17 *urbem inflammare cives trucidare, vastare Italiam delere rem publicam.* VII 26 *excitati erecti, parati armati.* XI 2 *invisitatum inauditum, ferum barbarum.* XIV 8 *pestem vastitatem, cruciatum tormenta;* de aliis huius generis exemplis, quorum omnium facile nobilissimum in Catilinaria secunda legitur: *abiit excessit evasit erupit* (cf. Quint. *inst.* IX 3,77), libros vide volgares Naegelsbachii et Draegeri. Calvi exemplum quoddam a Quintiliano (IX 3,56) commemoratur argutius quam eius ferebat consuetudo: *non ergo magis pecuniarum repetundarum quam maiestatis, neque maiestatis magis quam Plautiae legis, neque Plautiae legis magis quam ambitus, neque ambitus magis quam omnium legum.* Sallustii in Catilina haec exempla sunt: 10,4 *pro his superbiam crudelitatem, deos neglegere omnia venalia habere edocuit*, 12,2 *rapere consumere, sua parvi pendere aliena cupere*, 20,7 *reges tetrarchae vectigales esse, populi nationes stipendia pendere*, 52,5 *domos villas, signa tabulas*, sed artis praecepta consulto, ut solet, neglegit his verbis: 51,1 *omnis homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet* et quibus libellum concludit his: *ita varie per omnem exercitum laetitia maeror luctus atque gaudia agitabantur.* — Sed ingens atque ineptum in declamatorum scholiis succrevit quaternis membris struendi periodos studium, quarum permulta exempla in Senecae patris extant libris,

cuius ea de re testimonium supra attuli, ut *contr.* I 2,5 *quid si tantum capta, quid si tantum prostituta, quid si tantum homicida, quid si tantum rea fuisses?* VII 1,7 *pater noster navigavit sereno die tranquillo mari, auspicato itinere integra nave.* X 1,1 *quod sordidatus fui, luctus est; quod flevi, pietatis est; quod non accusavi, timoris est; quod repulsus est, vestrum est*; cf. II 1,17. 3,8. IX 2,10. *suas.* 1,14. 2,5. 18. 3,3. 6,4. 7,2 [1]). hinc factum est, ut qui inde ab Hadriani imperatoris temporibus [2]) declamatorium sequebantur scribendi genus huius figurae usu lascivirent; quorum agmen Fronto duxit. is qualia graeco usus sermone nitide composuit p. 258 N. φθόνος καὶ ἔρως, καὶ ζῆλος καὶ ἵμερος vel ὅμοιον ἡλίῳ καὶ οὐρανῷ, καὶ γῇ καὶ θαλάττῃ, talibus latinum quoque sermonem pingendum esse existimavit; confer haec: p. 6 N. *neque domum vestram diluculo ventitat neque cotidie salutat, neque ubique comitatur nec semper spectat.* 14 (M. Caesar) *veram sensuum facultatem, elocutionis variam virtutem, inventionis aliquam novitatem, orationis doctam dispositionem vehementer miratus est.* 15 (verba ex oratione quadam Frontonis petita) *heredes scripti navigabunt, exheredati autem in possessione remanebunt, diem de die ducent, dilationes petentes fora variis excusationibus trahent.* 16 (ex eadem) *quid ille cogitat aliud quam bonis alienis incubare, fructus diripere, agros vastare, rem omnem dilapidare?* 26 *Antoninum ut solem ut diem, ut vitam ut spiritum amo diligo amari me ab eo sentio.* 28 (M. Caesar) *nihil ego unquam cultius, nihil antiquius, nihil conditius, nihil latinius legi.* 48 *ego beatus hilaris sanus iuvenis denique fio.* 49 (M. Caesar) *quomodo* γνώμην *sollertius dilucidius brevius politius scribas.* 58 *mites cum ferocibus, placidi cum violentis; quom superbis moderati, cum crudelibus timidi.* 85 *tam carus patri tam dulcis matri, tam sanctus uxori tam fratri bonus ac benignus.* 227 *bellum indixtei ludo otio, satietati voluptati*; maxime p. 122 sq. *ea* (eloquentia) *metum incutit amorem conciliat, industriam excitat inpudentiam extinguit, virtutem exhortatur vitia confutat*; *suadet mulcet docet consolatur* (tricolon binorum commatum, sequitur tetracolon dis-

1) In his verbis (*contr.* exc. 7 p. 236,16 M.) *nescis, furiosius uxorem duxerit an habuerit, an dimiserit an collocarit* secundum *an* fort. delendum est, cf. tamen p. 54,4.

2) Inter ceteros prioris aevi auctores Tacitus quamquam vocibus lepide compositis plerumque abstinuit, Sallustium opinor secutus quaterna haud raro vocabula dissolute ponit ut *hist.* I 3 *futurorum praesagia laeta tristia, ambigua manifesta. ann.* II 19 *plebes primores, iuvenes senes.*

solutum). Frontonem quasi signiferum magna virorum cohors comitata est, non ut ipsum imitarentur sed ut graecorum, quos ille quoque secutus est, illius aevi sophistarum fierent asseclae. horum longe ineptissimus Appuleius fuit, audi enim haec quae homo tam philosophus quam nugax verborum fundit ludibria ac portenta in declamationibus suis, nam in aliis quos scripsit libris paulo minus insanit: *flor.* 1 *aut ara floribus redimita aut spelunca frondibus inumbrata,* | *aut quercus cornibus onerata aut fagus pellibus coronata,* || *vel enim colliculus sepimine consecratus vel truncus dolamine effigiatus,* | *vel caespes libamine fumigatus vel lapis unguine delibutus.* 9 *enimvero Honorinum et honos suus ad praeturam vocat et favor Caesarum ad consulatum format,* | *et amor noster impraesentiarum tenet et spes Carthaginis in futurum spondet.* 17 *summumque argumentum amoris frequentibus delectari, cessantibus obirasci,* | *perseverantem celebrare, desinentem desiderare.* ibidem: *taurorum gravis mugitus, luporum acutus ululatus, elephantorum tristis barritus, equorum hilaris hinnitus,* | *nec non avium instigati clangores nec non leonum indignati fremores.* similia multa leguntur apud posteros, qui Appulei praestigias imitati linguae latinae vim ac dignitatem artificiis circulatoriis fregerunt; quibus missis videamus de Minucio. is ne has quidem dicendi argutias omnino sprevit, sed pro argumenti gravitate multo saniorem se praestitit Appuleio. haec enim habet tetracola facete structa: 11,4 *utrum ferae diripiant an maria consumant, an humus contegat an flamma subducat* 12,7 *satis est pro pedibus aspicere maxime indoctis impolitis, rudibus agrestibus*, ubi *rudibus* vocabulum interpolator ille delevit; 17,7 *nonne auctorem suum parentemque testatur ver aeque cum suis floribus et aestas cum suis messibus, et autumni maturitas grata et hiberna olivitas necessaria?* 23,11 *deus enim ligneus . . suspenditur caeditur, dolatur runcinatur*, ubi *caeditur* v. ab eodem deletum est. in his tetracolorum naturam eam esse, ut bina vocabulorum paria ipsius soni discrepantia argute seiungantur, sponte apparet, cf. etiam Seilerum l. c. p. 20. atque eadem ratio eorum exemplorum est, quae ex aliis supra allata sunt auctoribus. a quibus paulo distant haec Minucii tetracola: 16,5 *et quoniam meus frater erupit, aegre se ferre stomachari indignari dolere,* 17,4 *esse numen . . . quo omnis natura inspiretur moveatur alatur gubernetur*, 32,4 *virtutem eius* (dei) *semper prae-*

sentem aspicimus, cum tonat fulgurat fulminat cum serenat. in quibus interpolator ille *indignari* v. temeraria manu induxit, *alatur* v. sibi suspectum esse blateravit, sed ne ita quidem insana eius sibi constitit sapientia, ut tertio quoque loco tria efficeret delendo verba. — sed horum exemplorum eam apparet esse rationem, ut prima quaeque cum ultimis, secunda cum tertiis vocabula conexa sint aut sono aut significatione aut utroque; nisi forte in illo exemplo quod postremum attuli, verbis quae sunt *tonat fulgurat fulminat* tricolon effici, eis quartum magno cum pondere addi censebis *cum serenat* repetita praepositione propter id ipsum, ut quartum verbum dirimeretur a tribus prioribus: quod verius esse ideo crediderim, quia rhythmus creticus *cum tonat, fulgurat, fulminat* graviter terminatur ditrochaeo *cum serenat.* qua de re utut statues, priorum duorum certe ea est ratio, ut quasi in decussem transversa posita sint vocabula, quam figuram χιασμόν infimae aetatis artigraphi graeci appellarunt, quemadmodum a prioribus seu graecis seu latinis appellata sit nescio, sed ne nomen quidem ei impositum esse arbitror, quae inter elocutionis figuras proprie dictas non recenseretur. quam dicendi rationem Minucius tantopere deamat, ut paene taedium afferat legentibus neque apud ullum auctorem graecum latinumve parem sibi inveniat. nam qui talia 19,4 *sit Thales Milesius omnium primus, qui primus omnium de caelestibus disputavit,* 21,1 *lege historicorum scripta vel scripta sapientium,* 22,1 *considera denique sacra ipsa et ipsa mysteria,* 23,10 *tormentis quibus et quibus machinis,* 35,4 *parentem omnium et omnium dominum,* 6,1 *cum igitur aut fortuna caeca aut incerta natura sit.* 7,6 *dant cautelam periculis, morbis medelam, spem adflictis,* 21,1 *Dictaei Iovis et Apollinis Delphici, et Phariae Isidis et Cereris Eleusinae,* sescenta eiusmodi (cf. Seilerum p. 22 sqq.) toties posuerit, praeter Minucium inveniri neminem spondeo ac confirmo. quod quamquam exemplis auctorum graecorum latinorumque demonstrare poteram, ne fines academicae positos dissertationi nimis viderer transgressus esse, praetermittendum esse censui.

d) Quina vocabula cum coniungi inveneris, ea tu vocabula plerumque ita strui scias, ut aut tricolo addatur dicolon aut dicolo tricolon. nam ut Minucius 5,9 *passim cadunt* (fulmina) *montes inruunt arboribus incurrunt* | *sine dilectu tangunt loca sacra et profana,*

homines noxios ferunt et saepe religiosos, sic Cicero *or. Philipp.* IV 16 *quantum cura labore vigiliis | auctoritate consilio niti atque efficere potero*, sic rhetor quidam apud Senecam *contr.* exc. VIII 1 *non fecit sacrilegium mulier, non fecit anus, non fecit orbata, | non fecit quae custoditur, non fecit quae confitetur*, sic apud Tertullianum *adv. Val.* 8 Phosphorus rhetor quidam latinus, cum virum fortem peroraret, haec dixisse fertur: *venio ad vos, optimi cives, de proelio cum victoria mea, cum felicitate vestra, ampliatus gloriosus fortunatus, | maximus triumphalis*, quibus auditis scholastici ex familia rhetoris φεῦ acclamarunt, nempe propter figuras clausulamque rhythmicam; sic apud Achillem Tatium p. 151,15 ἐμεμέριστο πολλοῖς ἅμα τὴν ψυχήν, αἰδοῖ καὶ ὀργῇ καὶ ἔρωτι καὶ ζηλοτυπίᾳ· ᾐσχύνετο τὸν ἄνδρα, ὠργίζετο τοῖς γράμμασιν, | ὁ ἔρως ἐμάραινε τὴν ὀργήν, ἐξῆπτε τὸν ἔρωτα ἡ ζηλοτυπία, καὶ τέλος ἐκράτησεν ὁ ἔρως. sed et haec exempla pauca sunt nec his plura ea, quibus quina vocabula ordine non digesto ponuntur: talia Minucius Appuleius Tertullianus non habent, Fronto rarissime ut p. 8 *sine homines ambigant disserant disputent coniectent requirant* (cf. p. 16 et 50), rhetores latini apud Senecam semel (*contr.* X 3,3) *dona filiam, si misericors es, deprecanti; si hostis, edicto; si pater, naturae; si iudex causae; si iratus es fratri;* Ciceronis exemplum mihi notavi nullum, certe aut perraro aut numquam ita locutus est; nec eo saepius Graeci, veluti Lucianus quem in declamatione de tyrannicida habita tot tricola tetracolaque posuisse vidimus quina vocabula ter coniunxit: 18 τὴν φύσιν, τὴν λύπην, τὴν ἀπόγνωσιν, τὸν φόβον, τὰς ἐπὶ τῶν μελλόντων ἐλπίδας χρόνων, ibid. ἄτεκνος λελυπημένος ὀδυρόμενος δακρύων πεπενθηκώς. 22 πόσαι κολάσεις ταῦτα; πόσα τραύματα; πόσοι θάνατοι; πόσαι τυραννοκτονίαι; πόσαι δωρεαί; — Sena vel septena vel adeo plura vocabula ab optimis auctoribus ita digeruntur, ut terna quaternave artissime inter se invicem conectantur, cuius rei exempla supra allata sunt plurima [1]).

1) Heroum nomina unum et viginti auctor prooemii cynegetici pseudo-xenophontei (1,2) ita digessit, ut septies fierent trina; quo de prooemio his diebus Radermacherus mus. Rhen. vol. LII p. 26 sqq. optime disseruit, nisi quod errat in rhythmorum generibus definiendis; id prooemium fere Commodi imperatoris aetate conscriptum esse alibi demonstrabo. — Ceterum idem v. d. l. c. p. 37 Xenophontis asyndeton bimembre affert unum (exped. Cyr. III 3,59, ubi oratio incitata est ac vigoris plena), plura negat inveniri; id igitur exemplum supra

Iam ut summam conficiam ex his quae de Minucii sermone disputavi, Minucium argutis dicendi artificiis lenociniisque adeo non abstinuisse intelleximus, ut nitidam quandam affectaret orationis elegantiam mollemque sectaretur oris dulcedinem, quae ne vitiosa esset sed legentium sensus leni voluptate perfunderet, summo plerumque usus iudicio summaque artis peritia optime providebat; quae illum orationis pigmenta ex sophistarum declamatorumque qui tunc vigebant et graecorum et latinorum myropoliis petiisse plurimis cognovimus exemplis, eorum originem ex veterum sophistarum disciplina repetivimus, quem ad modum apud utriusque populi auctores per aetates propagarentur demonstravimus, eorumque ratione cognita nonnullos Minucii locos recte traditos ab emendandi audacia defendimus. plura de his similibusque in editione Minucii addam, quae emittetur in scriptorum antiquorum sylloge Kaibelii ductu auspicioque felicissime incohata.

(p. 31) addendum erat. — Praeterea, antequam coronida ponam, hoc loco ea quae supra (p. 5) de pistoribus scripsi paucis supplebo. Caecilium enim multa cum irrisione in Octavium quasi *pistorum praecipuum* invehi, id vocabulum ab omnibus qui Minucii dialogum ediderunt viris et doctis et indoctis mutari vidimus. sed quod supra conieceram hoc vocabulo a Caecilio eos fere denotari quos antea dixerat *litterarum profanos, expertes artium etiam sordidarum,* id novo nunc comprobare possum argumento, non ex ipsa illo quidem petito antiquitate, sed ex antiquitate renata, talia enim in vita populorum quam maxime durare solent. nam Leonardus Brunus Aretinus in dialogo, quem a. p. Chr. MCCCCI de tribus vatibus Florentinis, h. e. de Dante Petrarca Bocatio, condidit, a Wotkio nuper edito (Vindob. 1889), Dantem his conviciis incessere non erubuit (p. 20 sq.): *de his loquamur quae ad studia nostra pertinent, quae quidem ab isto ita plerumque ignorata video, ut appareat id quod verissimum est, Dantem quodlibeta fratrum atque huius modi molestias lectitasse, librorum autem gentilium, unde maxime ars sua dependebat, nec eos quidem qui nobis reliqui sunt attigisse. denique, ut alia omnia sibi adfuissent, at certe latinitas defuit. nos vero non pudebit eum poetam appellare et Virgilio etiam anteponere, qui latine loqui non potest? legi nuper quosdam eius litteras, quas ille videbatur peraccurate scripsisse — erant enim propria manu atque eius sigillo obsignatae —, at mehercule nemo est tam rudis quem tam inepte scripsisse non puderet. quam ob rem, Colucci, ego istum poetam tuum a concilio literatorum seiungam atque eum zonariis pistoribus et eius modi turbae relinquam. sic enim locutus est, ut videatur huic generi hominum valuisse esse frater.*